



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Jesu Pars ...


Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCL

Historiæ Societatis Jesu Partis Sextæ Liber Quintus Annus Chr. 1620. Soc.
81.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ LIBER QUINTUS

ANNUS CHR. 1620. SOC. 81.

I.
RES PROVINCIÆ
ROMANÆ.
Mors & elo-
gium P. Bernar-
dini Stephonii.



NNO sæculi vigesimo, cujus hoc libro acta complectimur, desideravit provincia Romana virum de humanioribus litteris egregie meritum, eundemque virtutum magnitudine inlytium, P. Bernardinum Stephonium, de quo pauca nostro more subjicimus. Plura si qui volent, habent ubi quarant, tum Alegambium de scriptoribus Societatis, tum etiam Pinacothecam Jani Nicii Erytræi, qui de Stephonio suo olim magistro copiose disseruit. Luci illum dedit pagus in Sabina ignobilis, cujus nomen est in obscuro. A pueritia cum multa præ se ferret præstantis indolis, ingeniique documenta, eum Alexander Farnesius Cardinalis transtulit in seminarium Romanum, ut inter ejus contubernii alumnos ad clericalem militiam adolesceret: qua in palæstra exercitatus probe, tum in oratoria, tum in poetica facultate, brevi sodales & condiscipulos omnes longe post se reliquit. Annum ingressus vigesimum, ut erat non minus pietatis, quam litterarum cultor eximius, deliberabat de ineundo religiosæ vitæ statu, ferebaturque propensione animi summa in Societatem: sed eam ne peteret apertius, pudore quodam modestiæque prohibebatur, ob humilitatem natalium. Resciverunt nostri moderatores. Talem vero, ac tantæ expectationis alumnum adeo non repulerunt, ut imo ponendum in lucro non mediocri existimaverint. Testatur quem dixi Nicius Erytræus, Stephonii in Societatem ingressu socios omnes incredibili voluptate latitiæque fuisse perufos: *Tanquam si (inquit), non infima pene sortis homo, sed regia stirpe procreatus, summisque opibus præditus, in eum ordinem ac numerum venisset.* Post primos religiosæ vitæ annos, partim in addiscendis altioribus disciplinis, partim in inferioribus tradendis Societatis more traductos, Rhetoricæ, in qua plurimum eminebat, admotus est, & collegii Romani cathedram magnus præceptor implevit. In hoc laudum suarum teatro consenuerat jam, attigeratque annum vitæ sexagesimum, eam videlicet ætatem, qua honesto otio frui non immerito posset: cum expetitus est a Serenissimo Mutinensium duce, ut suis liberis prima latinitatis elementa explicaret. Provinciam homini ejus atatis molestam non detrectavit, qua erat obedientia, Ste-

Stephonius. Reliquit urbem Romam, & consuetudine veterum amicorum abrupta, Mutinam se recepit. At dum injunctum munus sedulo naviterque exequitur, sive ob mutationem cœli, sive ob vitæ & occupationum diversitatem, extabuit paulatim, necdum exacto biennio naturæ debitum solvit, vi. Idus Decembres. Vir plane laudandus in paucis, ut qui non solum rem litterariam egregiis ingenii monumentis illustravit, verum etiam, quod caput est, virtutum religiosarum exemplo nostris præluxit, ac miram præsertim animi demissionem cum insigni litteratura, felici ac raro nexu, conjunxit. Stephonium, magni faciebant quicumque erant Romæ eruditi, qui semper multi sunt in ea civitate, ad quam flos ingeniorum ex omni Italia, atque adeo ex omni orbis plaga concurrat. Solus ipse de se perquam humiliter existimabat, suaque omnia in postremis habebat. Nulla quidem certe vel levissima ambitionis aura affari unquam est visus, licet ad audiendas ejus orationes tragœdiæque, quæ deinde in lucem sunt editæ, mirifici fierent omnium ordinum concursus, eumque omnes ut oratorem ac poetam ævi sui facile principem prædicarent. B. Virginem Dei matrem colebat religiosissime: affirmare solitus, quæ maxima accepisset a Deo beneficia, ea se diebus magnæ Virgini sacris accepisse. Nam quo die Conceptio ejus immaculata recolitur, natus fuerat: quo Purificatio, ingressus fuerat Societatem: eodem professionem solemnem quatuor votorum emiserat. Unum adhuc sperare se ajebat, ut uno aliquo ex iisdem diebus mori contingeret; idque etiam feliciter est consecutus ipso conceptæ Virginis die, quo ante annos sexaginta duos primam lucem aspexerat. In morbo extremo rogandum curavit suis verbis Præpositum Generalem, ut quæcunque existarent sua scripta, vellet juberet flammis aboleri, ne qua relinqueretur posteritati memoria hominis, ut ajebat, ineptissimi. Sed aliud impetravit nihil, nisi ut inter reliqua ejus monumenta haberet posteritas hoc etiam religiosæ humilitatis exemplum.

Altero post Stephonium die elatus est Florentiæ P. Julius Ursinus, vir hic etiam nota peculiari dignus, & apud nos immortaliter memorandus. Romæ ortus erat ex Ursinorum familia, quam qui nominat satis laudat, parentibus tunc Petiliani comitatum in Hetruria obtinentibus. Annos natus viginti duos, cum ad amplissimam in aula Romana fortunam coniti non immerito posset, abrupto repente honorum cursu, ac domus paternæ commodis abdicatis, secessit in nostram Societatem, ut innocentiam, quam ad illud usque tempus intaminatam servaverat, procul periculis custodire facilius posset. Ita deinde vixit usque annum, quo mortuus est, ætatis suæ secundum supra quadragimum, ut pudore, modestiæque magis unus aliquis e supernis spiritibus, quam homo ex hac terrestri massa concretus videretur. Beatissimam Dei matrem colebat, amabatque in parentis loco. Vicissim hæc illi visendam se præbuit aliquando, atque ita locuta est: *Scito Juli, pudicitiam mihi tuam curæ esse.* Id ipse de se narrabat arbitro conscientia suæ: ex quo licet existimare, quam purus ab omni labe esset is, cujus castimoniam Virgo beatissima in suam curam receperat. Ejusdem rei documentum illustre de cœlo datum est in ipsius morte. Nam cum pro ejus valetudine vir notæ pietatis supplicaret Florentiæ, rogaretque enixe Deum, ne tam utili capite privari civitatem pateretur, oranti divinitus monstratum est candidissimæ formæ lilium, quod ignota excisum manu transferebatur in cœlum. Similibus ostentis declaratam ferunt ipsius jam mortui, & in cœlum recepti gloriam. Partem vitæ ultimam Ursinus exegit Florentiæ, partim privatus, partim rector, pari semper opinione non vulgaris virtutis. Erat tunc collegium Florentinum a re familiari non satis instructum. Ursinus cum fuisset illi rector impositus, ab ipso aditu magistratus curam, & administrationem collegii omnem commisit Virgini beatissimæ: ad eamque summa deinde fiducia, veluti ad collegii patronam, ac curatricem in rebus dubiis confugiens, præfecturam gessit per quam feliciter, nec ad vitæ usum necessaria unquam desideravit. Otium ut pestem omnium pessimam execrabatur. Quamvis autem vix aliquid vacui temporis suæ illi occupationes, præcesque ad

To. I.

Ff 2

mul-

2.
Obitus & elogium P. Julii Ursini.

3.
Mors & elo-
gium P. Step-
hani Benassaii.

multas quotidie horas productæ relinquerent; tamen quicquid habebat succi-
sivi utiliter collocans, scripsit ediditque vitam Alexandri Berti, juvenis Flo-
rentini e nobilium ordine, cujus eo tempore pietas tota celebrabatur Hetru-
ria; ac præterea vitam S. Franciscæ Romanæ: duo aurea volumina, & ad fo-
vendam inter juvenes ac matronas pietatem aptissima. Ab Ursino nefas sejun-
gere P. Stephanum Benassajum, nobili ortum loco inter Lucenses, cujus pari-
ter viri obitus in hunc de quo scribimus annum incidit. Priusquam Socie-
tati daret nomen Benassajus, forum terebat Romæ tanta inter Causidicos fa-
ma, non solum scientiæ, verum etiam integritatis, ut ei Pontifex Paulus V.
tiaram nescio quam Archiepiscopalem obtulerit. Ille honorem, ut putabat, in-
debitum, sarcinamque suis majorem viribus respuens, latebras contra, & ope-
rosam quietem captans, abdere sese inter nostros tirones maluit. Quamquam vero
profecta esset ætate, ad omnem tirocinii disciplinam institutionemque se mire
componens, tantum concepit ardorem, ut nihil jam nisi sacras missiones ani-
mo volutaret. Præcipuo instinctu pelli se sentiebat ad propagandam in imperio
Turcico religionem. Eo consilio, annos jam natus quinquaginta ad condiscen-
dam linguam Illyricam, difficilem oppido ac salebrosam, adjecit animum, ac
brevis tantam ejus peritiam adeptus est, ut non incommode loqueretur. Sed
dum opportunitatem optatæ missionis opperitur, audit Pontificias triremes,
quæ Centumcellano in portu constiterant, peste conflictari. Advolat statim, &
quas anhelabat regiones barbaras in Italia sibi oblatas gaudens, nulli diurno
nocturnoque parcat labori. Ægros vectare humeris, morientium confessiones ex-
cipere, mortuos componere, Turcas præfertim, qui inter mancipia plurimi in-
veniebantur, erudire. Dum somnum, cibum, valetudinem nihil pensi habet,
ac mortem ipsam denique lucro apponit, hanc pestifero languentium afflatus
halitu libens admisit xvii. Cal. Februarii. Nondum innotuerat Romæ de Be-
nassaii obitu, cum uni ex nostris in Quirinali probationis domo monstratam
fuisse tradunt ipsius animam, candido amictu spectandam, & coelesti lumine cir-
cumfusam.

4.
Fundatur col-
legium Inter-
amnenſe.

Eodem anno tribus provincia Romana domiciliis augebatur, Interamnenſi,
Urbevetano, & Camertino, quorum duo nunc tantum supersunt. Interamna
civitas est in Umbria vetus, & olim splendidum Romanorum municipium. Ci-
ves nostri nominis amantissimi ab ipso B. Parente Ignatio collegium poposce-
rant, nec quamquam ob sociorum paucitatem usque ad hoc tempus dilati,
spem ejus consequendi unquam amiserant. Recaluit vetus desiderium hoc anno,
dum missi Interamnam Patres Joannes Petrus Perottus, & Franciscus Contur-
la, sacris ministeriis civitatem excolebant. Nondum hi discesserant, cum Ma-
gistratus, instante Episcopo Clemente Pera, ad consilium publicum retulit de
collegio instituendo: quæ relatio communi omnium suffragio probata cum fuisset,
delecti sunt ex primario ordine Duumviri, penes quos potestas esset ea de re
transigendi. Dum illi rationem ineunt parandi habitationem & censum, mul-
tumque in his expediendis rebus immorantur; nunciatur ex improvviso, in-
quodam agri Romani oppido diem obijisse Persum Galeanum civem Interamnen-
sem, & bonorum suorum hæredem scripsisse Societatem ea lege, ut collegium
conderet Interamnæ. Fundatum ergo est ex Galeani bonis collegium: quod
autem explendæ doti deerat, civitas aliunde supplevit. Pari tenebatur Socie-
tatis desiderio Urbsvetus, civitas nobilis in ea parte Hetruriæ, quæ Ponti-
fici paret. Ante annos sex Sebastianus Phoebejus indidem civis genere patricius,
ut collegium Societatis in patria sua constitueret, sex aureorum millia, quæ
habebat Romæ in quæstu collocata, nobis transcripserat. Civitas parabat jam
tum addere in eundem usum proventus de suo quosdam, nec vero tenues. Sed
cum incerti illi & instabiles essent, iis Claudius haudquaquam censuit spes
collegii committendas. Ita tunc quidem hæsit res. Nunc vero Urbevetani, re-
sumpta quam intermiserant deliberatione, domum nostris ut opus erat instru-
ctam, & certum pecuniæ subsidium de publico offerebant, ut si nondum colle-
gium,

5.
Initia collegii
Urbevetani.

gium, qualecunque saltem domicilium Societatis haberent. Cui tam benevolæ voluntati Mutius obsecundandum putans, domum Urbeveterem constitui iussit ad earum similitudinem, quas vulgo Residentias dicimus. Constituta est: eamque quarto post anno cives proventu auxerunt, Mutius in formulam collegiorum redegit. Non eadem forte usum est collegium, quod eodem anno inchoatum fuit apud Camertes ex hæreditate Venantii Mutii. Cum enim præter ædes fundatoris, & prædia quadam perexigui proventus, nihil ad sustentandos Patres suppeteret, resque post annos duodecim nihilo meliore essent loco, Mutius, negotio cum Assistentibus deliberato, Camertinum collegium nondum omnino admissum dissolvit, sociis inde migrare iussis.

Simile incrementum hic annus attulit provinciæ Neapolitanæ, duobus illi de novo collegiis additis, Tarentino, & Vibonensi. Vibo, Valentia olim dicta, nunc vulgo Mons Leonis, civitas est episcopalis in ulteriori Calabria. Jamdiu loci dominus Hector Pignatellus, vir eque avita generis claritate, ac pietate sua illustis, nihil optabat cupidius, quam ut nostros homines illam in urbem induceret. Cum non haberet ad manus unde collegium moliretur, stationem duorum vel trium capitum impetraverat a Præposito Generali, vertendam suo tempore in collegium. Sed profectus postea in Hispaniam, inde ad Regem Galliarum orator missus, tot in legatione sumptus facere coactus fuerat, ut etiam si voluntas maneret eadem, tamen negotii conficiendi facultatem non haberet. Quod Pignatellus exoptabat frustra, perfecit præter omnium spem Vespasianus Jazolinus civis Vibonensis. Erat is quidem egregius vir, sed nostrorum consuetudine nunquam utens, Societati putabatur parum amicus. Tamen sub initium anni moriens, testamento condito, hæredem ex asse fecit Societatem, hac tantum imposita conditione, ut stationem Vibonensem in collegium mutaret. Jazolino tres erant fratris filii, quibus ex lege Neapolitanorum pars de bonis patris debebatur. Quocirca bona hæreditatis sequestro fuerunt deposita, donec cum illis Societas transigisset. Brevi ex æquo & bono transactum est: qua conventionem licet fere triens detractum fuerit ex asse hæreditatis, quod tamen superfluit ad censum collegii sufficere est visum. Tarentum, clari urbem nominis in provincia Hydruntina, duos jampridem Societatis operarios induxerat Bonifacius Cardinalis Cajetanus, ejusdem urbis Archiepiscopus. Patrum istorum opera adeo grata acciderat civitati, ut, quod raro admodum usuvenit, Tarenti Societas adversarium haberet nullum, omnibus contra in amore & præfio esset. Collegium cum expeterent unanimi ferme consensu Tarentini, dolebant, propter exactiones, & tributa solito graviora deesse sibi fundandi facultatem. Sed hac eos cura liberavit Vicecomes de Vicecomitibus nobilis Mediolanensis, qui cum esset in provincia Hydruntina regius portuum administrator, jamdiu Tarenti domicilium habebat. Is enim, etsi a longo tempore Societati, ut fama erat, palam adversus, nunc ad extremum vitæ deductus, nobis haud contemnendam pecuniæ summam testamento legavit. Suas quin etiam reliquit in usum collegii ædes, aliud nihil rogans Præpositum Generalem, nisi ut accepto legato collegium Tarento daret; sibi autem quæ solet Societas collegiorum fundatoribus indulgeret. Illud porro visum notabile in hac re, testamentum fuisse scriptum postridie Cal. Julii, die scilicet anniversaria Ven. P. Bernardini Realini, quem plures adhuc meminerant affirmare solitum, futurum Tarenti collegium unde minime speraretur. Oraculi veritatem affirmavit eventus. Nam præter legatum de quo diximus, Fabricius Vicecomes fundatoris fratris filius, biennio post moriens, collegium a patre suo inchoatum verius quam conditum, novis attributis vectigalibus, perfecit. Sed ut ad annum qui præ manibus est redeam, Neapoli in æde Professorum supplicatio habita est, non equidem pompa, sed conditione supplicantium insignis, & annalibus digna. Octavius Aragonius trirremium regiarum præfectus redierat ex Ægæo mari cum præda unius turcicæ, quam ajebant esse prætoriam Leucadorum, alteriusque piratici myoparonis. Iis in navibus capti cum fuissent Tur-

6.
Inchoatur collegium Camertinum, sed mox dimittitur.

7.
RES PROVINCIAE NEAPOLITANÆ. Fundatur collegium Vibonense.

8.
Ortus collegii Tarentini. Vaticinium P. Realini circa illud.

9.
Memorabilis supplicatio Neapoli habita.

Turcæ sexaginta, receptique Christianorum fere ducenti; placuit Proregi ad eadem nostram supplicatum venire Christianos liberatos, & ad altare Francisci Xaverii catenas suas deferre, ut iis quasi anathematis, & obsequii publico documento auctorem suæ liberationis agnoscerent. Facta enim collatione temporum, constabat, navalem illam victoriam in diem Xaverii anniversariam incidisse, ejusque potissimum præsidio fuisse barbaros superatos. Prorex non vanis conjecturis putabat. Peracta igitur est novi moris supplicatio, pompam assestantibus, qui pugna interfuerant, classiariis. Totus ad pium spectaculum affusus est populus Neapolitanus. Affuit ipse Prorex, magnis enimvero grati animi significationibus salutat; ab omni liberatorum multitudine, quam antea vestimentis & pecuniâ donaverat. Sed hujus lætitiæ rei mirifice cumulavit, quod ex mancipiorum turba duodeviginti rite instituti Mahometicam superstitionem ejuraverunt, & in æde Professorum sacro humore abluti fuerunt.

Dum hæc geruntur Neapoli, in Sicilia sedem stabilem habere cœpit Societas apud Thermitanos. Thermae, oppidum toto regno nobile, jacent ad ostiâ Himeræ amnis, millia passuum viginti circiter ab urbe regia Panormo. Michael Angelus de Marinis toparcha Vallislongæ, duobus ante annis moriens, certum pecuniæ numerum æquis pensionibus perfolvendum legaverat Societati, cum hoc ut collegium Thermis excitaretur. Sane multo amplius ad rem perficiendam opus erat: sed quod deerat, sperabant nostri aliorum largitionibus expletum iri. Hæc fiducia permovit Mutium, ut legatum acciperet, juberetque qualecunque domicilium Thermis inchoari. Ejus itaque jussu circa dimidium anni labentis missi sunt Thermas duo Patres, cum totidem rei domesticæ adjutoribus, ut novi collegii fundamenta ponerent. Dum illi parando sibi domicilio primas curas impendunt, accidit ut eodem adveniret Jannettinus Cardinalis de Auria antistes Panormitanus. Præfulis purpurati adventus movit Patres, ut domus ædificationem maturarent, cujus primum ille lapidem ponere per istam occasionem posset. Provinciam Auria non recusavit. Summa civium lætitiâ positus fuit lapis, delecto ad sacram caeremoniam die ob conceptum Deiparæ intaminatum faustissima celebritatis. Exinde cœptum ædificium surrexit feliciter: collegium vero, ut futurum nostri præfenserant, ex arario publico civitatis accepit, unde familiam aleret capitum fere quindecim. Dissimilis fuit conditio alterius domicilii, quo per idem tempus provincia Sicula aucta est. A Melitâ exiguo freto disjungitur Gaulos, brevis insula, cœlo tamen saluberrimo, & felici admodum solo. Oppidum ibi est permunitum, nec infrequens. Incolarum quatuor vel quinque millia numerantur. His, ut res tunc habebant, nullus præter parochum aderat, neque præceptor, neque sacrorum minister: res eo miserabilior, quod compertum erat, esse hominibus indolem, si excoleretur, ejuslibet disciplinæ patientissimam. Id reputans Melitensem nescio quis, duobus ante hunc annis bona sua collegio Melitenfi transcripserat, ea imposita conditione, ut aliqui sociorum in insula Gaultana sedem ponerent. Dubitatum apud nos est, utrum expediret hæreditatem accipere! Rejeciebat illam aperte Mutius, ut qui exiguæ familiæ domicilia, ob pericula disciplinæ vix inter paucos servandæ, haud facile admitteret. Sed vicit auctoritas Episcopi Melitenfis, nequaquam negligendam existimantis occasionem, quæ sponte offerebatur, juvandi miseros insulanos omni fere salutis præsidio destitutos. Ita vix demum consensit Mutius, ut duo e nostris possessionem Gaultanæ sedis caperent. Verum biennio post certior factus, profestis diebus nihil esse quod nostri ibi agerent, quippe incolis per eos dies in cultu agrorum ex maxima parte occupatis; stationem illam simul, & hæreditatem dimisit.

Provincia Sicula pars est Chios, notissima Ægæi maris insula. Chii stationem antiquam habet Societas, & cum alias ob causas, tum maxime ob communitatem quàm præbet excursionum ad alias circumpositas insulas, in pretio habendam. Plures versabantur in ea statione Patres, suisque ministeriis secundissima omnium approbatione fungebantur. Solum demereri sibi non poterant

Epi-

12.
Controversia
inter nostros, &
Chiosensem Epi-
scopum exorta.

In insula Gaulo
sedes figitur, &
mox deseritur.

Res Provinciarum
Siculae.
Initia collegii
Thermitani.

alio modo
non habet
antiquum

controversia
inter nostros
et Chiosensem

Episcopum, quo utebantur palam inlenso. Quiddam accidit, unde exacerbatus est hoc anno vehementius. Jamdiu Episcopus versabat animo, si quo modo posset suam facere ædem S. Antonii, quam ibi habebat Societas satis amplam, ornatamque, olim nobis a Clemente VIII. Pontifice traditam. Nam cum suam vetustate collapsam amisisset, coactus fuerat functiones pontificales transferre in ædiculam perangustam, quæ vix centum homines capiebat. Jus nostra utendi nuper postulaverat Romæ. Judices Cardinales ita licitum responderant, si modo Patres Societatis consentirent. Responsum hoc minime suffragabatur ejus proposito, qui non uti tantum, sed potiri templo constituerat. Ergo asperiores inire viam statuit, si forte impatientes molestiarum & litium nostri sponte cederent insula, aut saltem ædem permitterent arbitrio ipsius. Solebant nostri per totum majoris jejunii tempus, singulis sextis feriis, incruentam hostiam ad venerandum proponere in S. Antonii, quæ religio summa civium frequentia, ac pietate celebrabatur. Hoc anno Præsul diserte vetat, ne uspiam per eos dies divina proponantur: velle enim se deinceps illud religionis genus in ædem suam episcopalem inducere. Perculit Patres rei novitas: tum vero maxime, cum paucos post dies affuit in templo nostro missus ab Episcopo scriba, & ejusdem sententiæ edictum publice recitavit, denunciando populo, jam tum sacris interdici illi nominatim templo, si secus fieret. Legentem interpellavit P. Josephus Balamus sociorum præses, & porro progredi vetuit. Ea tamen denunciatio multorum mentes perturbavit, & civitatem in studia varia sententiarumque distraxit. Affirmantibus aliis teneri edicto Episcopi ecclesiam Societatis, aliis pernegantibus, itum est in jus Romam. Non tamen intermissa vetus ac pia consuetudo exponendi sexta quaque feria quadragesimæ divinam hostiam: nec quamquam affirmaret Episcopus, reos esse anathematis quicumque in nostra æde facerent, aut frequentarent sacra, in ea concursus populi deminutus. Dum Romæ negotium disceptatur, multa nostri pertulere ab Episcopo, ejusque fautoribus, quæ nihil attinet commemorare. Nec vero negaverim, nonnullis etiam nostrorum in illo æstu doloris voces excidisse minus consideratas, quæ ad Antiflitem delatæ, ejus iracundiam vehementius irritaverunt. Eos Mutius, quippe rigidus exactor obsequii Principibus Ecclesiæ debiti, increpuit acriter, multavitque. Quod vero ad rem attinet, allatæ demum sunt Roma litteræ, quibus declarabatur, non fuisse causam Episcopo interdicens sacris ecclesiam Societatis. His litteris alias de suo addidit Mutius, duo præcipiens nostris. Primum, ut controversam celebritatem transferrent deinceps in alium quemlibet diem hebdomadæ, relictis Episcopo sextis feriis. Alterum, ut nullum prætermitterent officii & observantiæ genus adversus ipsum. Quæ cum nostri obedienter facerent, delinitus obsequio Præsul edictum illud suum induxit, & finem controversiæ fecit.

Multo æquiores interea gerèbat erga nos animum Andreas Mastrillus Archiepiscopus Mamertinus. Is paulo post sumptas insulas, cum suam illam valde amplam obire dioecesim statuisset, secum duos nostrorum assumpsit, non tam viæ comites, quam laborum socios, curarum participes, & rerum gerendarum ministros. Sex ipsos menses tenuit peregrinatio: quibus exactis, graves de jurisdictione controversiæ Antiflitem exceperunt. Cum non appareret, quo prurpturum esset certamen duas inter potestates, civilem, & sacram institutum, quæ quidem nunquam nisi malo publico dissident, placuit rei judicium permittere theologorum arbitrio. Optimus Præsul, qui in ea causa nihil spectaret aliud, quam ut ne jura Ecclesiæ læderentur, facillime admisit petitionem civilium magistratuum, ut religionem qua ducebatur, aut deponeret, aut retineret, ut visum esset Patribus collegii Mamertini, quorum sententiæ se quoque staturos facti veluti compromisso profitebantur. Dato deinde nostris negotio, ut quid ipsi sentirent aperte pronunciarent, eorum sententiis controversiæ est omnis incredibili partium approbatione composita. Dum hæc Messanæ gerebantur, Catanæ P. Carolus Romanus rei maxime salutaris initium

13.
Romam defer-
tur, & Socie-
tati adjudicatur.

14.
Sociorum res
gestæ in dioecesi
Messanensi.

fa-

^{15.}
Missio perpetua
a P. Carolo Ro-
mano instituta.

faciebat, quæ ad totum deinde ordinem cum magno mortalium bono est propa-
gata. Jam pridem ille expeditiones Indicas depoposcerat: sed aptus inter paucos
tironum institutioni, eoque munere occupatus, repulsam tulerat. Pro Indiis,
quas frustra semper optaverat, id nunc obtinuit a Præposito Generali, ut se-
nullius certi domicilii familiæ adscriptum sineret obire perpetuo villas, & mino-
ra Sicilia oppida, evangelico ministerio nunquam intermissis. Hujus vero per-
petuæ missionis tam lætos colligere statim fructus cœpit Romanus, ut videretur
labores Indicos in Sicilia invenisse. Non potuerunt non perspicere novi instituti
utilitatem provinciæ præfides: eaque propter curandum sibi in posterum cen-
suerunt, ut semper essent in provincia ex probatissimis operariis aliquot paria
a curis cæteris expedita, & his tantum excursionibus destinata: qui postea mos
in alias quoque provincias cum ingenti animarum proventu pervasit.

^{16.}
Mors & elo-
gium P. Octa-
vii Cajetani.

At his rebus gaudentem Societatem Siculam valde contristaverunt duo do-
mestica funera. Primo decessit loco P. Octavius Cajetanus, vir doctrina & fan-
ctitate conspicuus: cujus quidem eo visa est jactura luctuosior, quod in ipso ata-
tis robore constitutus, otiumque nunc primum nactus ab administrationibus &
præfecturis, in eo maxime erat ut Societatem scriptis luculentissimis illustraret.
Natus perillustri genere Syracusis, litterisque ab ipsa pueritia optime excultus,
cum in maximam familiæ spem adolesceret, Deo ad Societatem vocanti parere
maluerat. Post tirocinium Messanæ positum cum ad altiora studia conficienda
venisset Romam, in isto sapientum theatro magnam habuit opinionem ingenii,
atque virtutis, cum apud cæteros, tum præsertim apud illum hominum æstimato-
rem egregium Claudium Aquavivam, cujus nutu ad gubernandum fuit traductus.
Rexit præcipuas provinciæ domos, dubites utrum majori laude solertiæ, an
charitatis. Sane, quod vix videatur credibile, rem ubique auxit familiarem,
sine cujusquam incommodo aut querela. Nec vero excelsæ mentis hominem
domestica negotia sic sibi totum vindicabant, ut non aliquid quotidie vacui
temporis inveniret collocandum in libris, privatisque vigiliis. In ipso Panormi-
tanæ domus magistratu acta Sanctorum Siculorum scribendo exequi cœpit: opus
infiniti laboris, ex antiquitatis rudibus coagmentatum, duobusque ingentibus
voluminibus comprehensum. At dum totus est in eo limando perpoliandoque,
curam hanc immatura mors interceptit. Obiit Panormi postridie Nonas Martias,
annos natus quatuor supra quinquaginta, laudatusque est oratione publica super
mensam, qui honor apud nos non nisi summæ virtuti conceditur. Superis, quo-
rum res gestas illustravit, acceptum fuisse tradunt in tantum, ut sæpe illum
ex maximis vitæ periculis eripuerint, aliquando sese videndos ei præbuerint,
adfuissent scribenti, & gratias egerint, quod de ipsorum gloria tantopere labo-
raret. Cum ejus vitæ prius, deinde pudicitia scelestæ mulier insidiaretur, a
B. P. Ignatio semel atque iterum repressa est, ut fuscè tradit Aguilera in anna-
libus provinciæ Siculæ. Cajetanum exiguo intervallo subsequutus est P. Jacobus
Carybdes, Messanæ extinctus, ubi claris natalibus ortus fuerat ante annos septua-
ginta. Vir ingenii & doctrinæ præstantia vix ulli ætatis suæ secundus, morum
vero facilitate, innocentia vitæ, rerumque gestarum magnitudine, cum maxi-
mis comparandus. Philosophiam tradidit Romæ, ac notatum est, ex ejus di-
sciplina prodiisse nostrorum neminem, qui non deinde in aliquo Societatis mi-
nisterio excelluerit. Ex Lyceo ad gubernandum assumptus, hinc iterum ad
studia regressus, in utroque statu laudem obtinuit religiosæ virtutis, dubium
relinquens utrum laudabilius præfesset, an subesset. Summus studiorum mode-
rator cum esset in collegio Mamertino, tantam sibi apud omnes famam conci-
liaverat fidei, atque prudentiæ, ut Carybde inconsulto vix auderent cives ali-
quid majoris momenti aggredi. Inventis corporibus Sanctorum martyrum Pla-
cidi & sociorum, quæ per plura sæcula sine honore jacuerant, unus aliquis
legandus erat Romam ad asserendam Pontifici maximo eorum veritatem. Ne-
mo omnium visus ad hanc provinciam aptior Carybde. Romam ergo mittitur
publico civitatis nomine. Ille strenue negotium aggressus, post duos irrita pro-

^{17.}
Obitus & elo-
gium P. Jacobi
Carybdis.

procuracionis menses, videns subnasci alias ex aliis difficultates, nec sacro Cardinalium consilio ullis satis documentis persuaderi posse, eas vere esse Martyrum, ut ipse affirmabat, exuvias; ad eosdem Martyres se convertit. Rogat, ut suam ipsi causam agant, ipsi se tueantur: nec frustra. Designatus fuerat Vincentius Cardinalis Gonzaga, ut de causa Martyrum ad coetum Purpuratorum referret. Pridie ejus diei, quo relationem facere constituerat, corripitur vehementi dolore laterum Cardinalis, ac male torquetur, sic ut cruciatus acerbitatem nec ferre, nec levare ullo fomento posset. Multum laboranti, omnesque se in partes frustra versanti optimam mentem iniecit dolor. Placidi, & sociorum opem implorat. Profitetur, vera se habiturum quæ a Carybde de ipsorum corporibus affirmabantur, si eorum invocato nomine convalesceret. Vix precem conceperat, eodemque momento temporis omni doloris sensu caruit. Convictus tam manifesto divini numinis testimonio Cardinalis, non solum manus veritati dedit ipse, verum etiam postridie ad collegas ita de re tota peroravit, ut omnium animos flexerit. Ita solemnis cultus SS. Martyribus decretus est, & negotium Carybdi datum, ut in anniversariam eorum diem officium, & lectiones concinnaret. Nec vero dubitandum quin respexerint beati Coelites pium viri laborem pro sua gloria susceptum. Certe sine divino consilio factum non videtur, ut migraret ex hac vita P. Carybdes IV. Nonas Sextiles, pridie scilicet ejus diei, qui dies Messanae, a repertis sanctorum quos dixi Martyrum corporibus, habetur religione præcipua consecratus.

Magnum quoque sui desiderium reliquit Novellariæ in provincia Veneta Frater Josephus Bracchus, patria Regiensis. Conditiones omnes & dotes, quas in adjutore domesticæ rei requirit Societas, in Bracco eminebant: pietas, obedientia, humilitas, paupertas cum munditiæ conjuncta, laborum omnium & incommodorum, quæ huic ordini adjuncta sunt, tolerantia. His de causis socius tironum magistro semel datus Novellariæ, in eo munere, quod non levis momenti est, reliquam vitam exegit. Cum tironibus ita versabatur, ut unus ex ipsis videretur, iisdem atque illi occupationibus exercens sese, modestiam eorum simplicitatemque superans. Quadrato pileo, Fratribus per illud tempus permissio, usus est nunquam. Perbrevis plerumque veste ex crassiore tela, eaque multum detrita ac decolorata tegebatur. Usitam Societatis tunicam solis diebus festis induebat. Nisi novitios extra urbem deambulantes asectaretur, animi relaxationem nullam admittebat, neque alia tunc colloquia, nisi plena pietatis miscebat. Si quem tironum videret in agendo remissiosem, his illum ferme vocibus increpabat: *Hæcine actio Deo offerenda? Putas gratum id fore Christo Domino, & B. Virgini? Ita ne ageret B. Aloysius?* Quoties a rectore arcessebatur, licet longe distitus inveniretur, statim nudabat caput reverentiæ causa: quidquid vero haberet præ manibus abrumpens, ad eum propere advolabat. Pari ut alacritate novitii majorum excipere imperia consuescerent, hæc illis identidem inculcabat: ad religiosos loqui Deum per ipsorum præfides, veluti per fistulas totidem: diversas esse fistulas, aureas alias, alias argenteas, lignearve; sed unam per eas vocem emitti, divinam scilicet. Amabat Societatem impense, dolebatque quod non ab ipsis incunabulis in eam fuisset cooptatus. Diem anniversariam sui in Societatem ingressus pio præveniebat octiduo, quod largiore precationum, & afflictationum mensura transigebat. Regiensem etiam stationem, quæ tunc ob inopiam ægre sustentabatur, de suo patrimonio plurimum juvit. Quamdiu inter nos vixit, non alio usus est conscientie arbitro, quam tironum magistro: quæ autem ad piacularem confessionem afferebat crimina erant ejusmodi, ut vix Sacerdos materiam aptam absolutionis inveniret. In morbo extremo, qui decem & octo dies tenuit, de suo obitu ut de re quæpiam jucunda, ac porro optatissima loquebatur, nec unquam esse sui compos desinit. Una antequam expiraret hora, cum rector acciri se jussisset, si periculum mortis immineret, ipse adstantem Sacerdotem admonuit, ut vocandum rectorem.

To. I.

G g

cu-

18.
RES PROVINCIAE
VENETAE.
Obitus & elogium
Fratri Josephi
Bracchi.

19.
RES PROVINCIÆ
MEDIOLANEN-
SIS.
Labores & pe-
ricula P. Gon-
falonerii in Cor-
sica.

20.
Sinus Nebien-
sis solemnem com-
precationem fit
piscosus.

21.
Res a Gonfalo-
nerio gestæ in
insula Capraria.

curaret. Decessit III. Nonas Februarias, annum agens ætatis quinquagesimum septimum, ab inita Societate vigesimum.

Per hæc in Corsica, quam pertinere ad provinciam Mediolanensem alibi dicebamus, P. Joannes Augustinus Gonfalonarius, post fructuosas anni præteriti circuitiones, Bastiam quasi in hiberna concesserat. Ibi dum tempus resumendi laboris opperitur, atque interim publica civitatis vitia liberius carpit, gravem in se procellam concitavit. Fuerunt e religiosa nescio qua familia concionatores, qui maledictis, & contumeliis in eum de loco superiore inveherentur. Alii violatæ religionis reum faciebant, & deferendum ad quæsitores fidei palam prædicabant. Increbuerat, non neminem ipsius capiti insidiari. Quare multi ei amice suadebant, ut quantocyus cedens ex insula periculoso turbini se subduceret. At vir fortis divina opæ, suaque frætris innocentia, non solum manere quocunque suo periculo statuit, verum ubi primum per tempus licuit, erupit denuo in apertum, & ad intermissum opus festinavit. Quod oppidum S. Florentii vocant, caput est dioceseos Nebienis: Nebii enim nihil superest, præter ruinas, & nomen episcopatus. Arx imposita est oppido, quæ tunc cohorte præsidiariorum centum & triginta tenebatur. Militum porro adeo perditæ erant mores, ut plerique ne metu quidem anathematis possent ad percipienda semel saltem intra annum sacra compelli. Jam quæ inter eos inolevissent portenta scelerum, majus est quam ut dici a me possit, foedius quam ut debeat. Hanc vitiorum omnium sentinam purgandam suscepit Gonfalonarius, ac re ipsa purgavit adeo feliciter, ut veterum sordium vix esset vestigium invenire. Qui jamdiu simultates internecinas aluerant, ii positæ ex animo offensionibus ad concordiam rediere. Scorta, & cætera flagitiorum irritamenta, frequens in militari licentia malum, prorsus eliminata. De iis quæ quisquam vel furto, vel rapina, vel iniquis passionibus, vel alia quavis fraude abstulisset, dominis satisfactum. Sublata penitus ebrietas, metuque Numinis excisa libertas improba, aut colloquendi turpiter, aut contumeliosa in superos verba jaciendi. Aliæ demum vivendi leges, aliæ consuetudines in arcem inductæ: ut tantam morum conversionem nec Antistes commendare satis, nec ceteri satis mirari possent. Deus ipse visus novam illam militum pietatem præsentem beneficio remunerari voluisse. Sinus Nebienis antea piscosus, a longo tempore pisces dare desierat: cujus causam incommodi vulgo referebant in execrationes, & diras olim contra ipsum jactas a Sacerdote, quem piscatores læsissent. Placuit experiri, an mari bene precando maleficium averteretur. Ut religio ejus rei cum quanto poterat caremoniarum apparatu perageretur, pægna instar pontis erectum est ab extremo littore in æquor procurrens, jussique ad hunc locum oppidani ritu supplicantium procedere. Inter eundem alii se flagris diverberabant, alii alio genere piaculorum iram Numinis deprecabantur. Cum tota multitudo convenisset, affuit cum antistite Gonfalonarius. Peroravit hic ut res & tempus poscebat. Ille consensu pægmate precatæ carmen peregit: ab eaque die, mirum dictu! locus ut olim piscibus abundare coepit. Sic gesta res in oppido S. Florentii. Non minori deinde successu perrexit Gonfalonarius ejusdem provinciæ populos obire, donec, post assiduos quatuor mensium labores, Genuam reverti statuit. Secunda navigatione Genuam ferebatur: cum subito ventus in contrarium mutatus navim impulit ad Caprariam, brevem insulam, in medio freti Liguriam & Corsicam interluentis sitam. Ibi ad plures dies sibi esse consistendum videns vir apostolici spiritus, ne moram perderet, totum se contulit ad excolendos Genuensium milites fere trecentos in præsidio positos. Quantum paucis diebus profecerit apud homines incultos, & summa rerum divinarum inopia laborantes, haud facile consequi verbis possim. Triginta dissidentium paria in mutuum gratiam reduxit: fere omnes homologesi purgatos sacra mensa refecit. Salutabatur proinde passim ut homo de coelo missus, eratque omnium una vox, se beneficio ipsius ad salutis æternæ spem quodammodo revixisse.

22.

Obitus & elogium Hannibalis Caccie tironis.

Laborante in hunc modum pro divina gloria milite veteranò, metam laborum & patientiæ attingit præclarus tiro, qui quamvis paucos duntaxat menses in Societate versatus, tamen rara documenta virtutis illi dedit vivens, & gratam sui memoriam moriens reliquit. Hannibalì Caccie nomen erat adolescenti: genus e præcipua Mediolani nobilitate. Dum scholas frequentat collegii nostri Braidensis, incensus est Societatis ineundæ desiderio adeo vehementi, ut moras omnes molestissime ferret. Nihil obstabat ex parte nostrorum ne reciperetur, quippe adolescens optimæ indolis, nec solum innocentia ac pietate, verum etiam ingenio, studioque litterarum inter æquales excellens. Cunctabantur illi tamen metu patris, qui filium unice diligens, minime videbatur in pium ejus votum consensurus. Suboluit huic interim, nescio quibus indiciis, de consilio Hannibalis; ac statim videre licuit, quam non temere de adversa ejus voluntate nostri suspicarentur. Exarsit continuo, atque omnia conari statuit, ut filium ab ea mente dimoveret. Primum omnium a scholis Societatis illum abstrahit, omnique nostrorum commercio interdicit sic, ut occurrentibus per urbem forte, nec dare salutem liceret, nec vero reddere. Eundem mox a studiis litterarum transfert ad saltationes, ad instrumenta musica, ad equorum palæstram, ad ludicras sub lanista pugnas, aliasque ejusmodi equestres, ut vocant, artes: si forte per has exercitationes avocaretur a priore proposito, & ad hilariora consilia traduceretur. Postremo idoneam matrimonii conditionem nactus, de ea sermonem infert cum Hannibale. Hic enimvero se ad incitatas adactum vidit optimus adolescens. Sermonem molestum abruptit, immaturum se nuptiis respondens. At paulo post, captata occasione, clam profugit Genuam, impetravitque non tam precibus, quam lacrymis, ut nostris tironibus aggregaretur. Vix portum subierat, cum ventis idem ac fluctibus aliis in altum retrahitur. Pater furore amens, atque impos sui, omnia expertus frustra ut nostros ad redhibendum sibi optatissimum filium compelleret, fidem implorat Odoardi Farnesii Cardinalis, cujus audierat maximam esse Romæ apud Generalem Præpositum auctoritatem. Negotium suscipit Cardinalis, sic tamen ut Romam evocaretur novitius, cujus voluntatem ajebat velle se coram explorare. Hannibal Roman mittitur. Eum Cardinalis interrogavit sæpe per sese, sæpe uni cuidam ex externis, viro gravi doctoque, interrogandum tradidit. Quæstioni ita satisfacit prudens novitius, tot argumentis vocationem probavit suam, ut demum Cardinalis religioni sibi duxerit ejus constantiam ultra tentare, dederitque hujus sententiæ litteras ad ipsius patrem. Non quievit ille, propterea. Instat, ut saltem ab urbe Roma Mediolanum remitteretur. Viam pervolvit adolescens alieno tempore: atque ita laboribus fractus ac molestiis Mediolanum pervenit, ut inciderit in morbum statim. Quod illi tamen molestum magis, quamvis febricula tentaretur, ex ædibus nostris jubetur immigrare in cœnobium alterius ordinis, etiam atque etiam interrogandus scilicet, & siquidem emolliri posset, ad paternam domum retrahendus. Nihil hoc tempore omisum neque a patre, neque a consanguineis, neque ab iis inter quos versabatur religiosis, quo labefactari posset ejus constantia. Dies noctesque instabant importuni sollicitatores, artes omnes ac machinas expromebant. At surdo canebarur. Theologus fuit, qui religionem illi incutere ausus est, objiciens tenuitatem virium, & incommodam valetudinem, qua prohiberetur studiorum spatia percurrere in Societate, ordinis autem laboriosissima ministeria obire, nullo pacto posset. Se vero, respondit, si minus aptus censeretur ad ordinem clericalem, minime dubitaturum domestici adjutoris gradum amplecti, dummodo viveret in Societate. Ex quibus Pater intelligens, se in eo expugnando oleum, ut ajunt, & operam perdere, demum ab incepto destitit, & filium nobis reddi permisit. Nunquam hoc præterito tempore convaluerat Hannibal ab ea febre, qua in itinere Mediolanensi correptum dicebamus. Eandem secum intulit in collegium Braidense: quæ cum invalesceret sensim, juvenem egregium, tunc undevigesimum annum ætatis decurrentem, intra duos menses ex-

Tò. I.

G g 2

tin-

tinxit. Quæ tam brevi spatio præbuit virtutis exempla, ornandis annis pluribus fuissent satis. Nunquam illi in permolesto morbo, aut fractus animus, aut vultus tristior. Deum ac Deiparam spirare videbatur unice: nihil nisi coelestia animo volutabat. Mortem adeo nihil reformidabat, ut imo haberet in votis, recludendum sibi per eam distans ad immortales beatorum sedes aditum, quas unice concupisceret. Sacrum sumpturus viaticum, religiosa vota nuncupavit ex formula scholasticorum, ac paulo post, quasi votorum suorum summam consecutus, inter lacrymas adstantium domesticorum mira mentis tranquillitate animam exhalavit, v. Idus Octobris. Atque hæc de rebus Italicis.

23.
RES GERMANIÆ
SUPERIORIS.
Palatinatus Nor-
ricus ad Eccle-
siam reducitur.

Germaniæ superiori lætissimum hunc annum fecit susceptus labor in Norico, quod ex Lutherana superstitione ad catholicum cultum fere ex toto traductum invenio. Est illa pars potissima Neoburgicæ tetrarchiæ. Constat quatuor urbibus, oppidisque majoribus octo, quorum singulis multi adjuncti sunt pagi usque ad quadringentos omnino, & si quid amplius. Incolæ, cum essent a pluribus annis Lutherana hæresi imbuti, adeo abhorrebant a Romana fide, ut ejus nec mentionem ferre possent. Frustra Princeps edicta de restituendo religionis antiquæ cultu promulgaverat. Obfirmati a Luthero nunquam deficere, imperium superbe detrectabant, minas contumaciter aspernabantur. Addebat ingentes perfidiæ animos vulgata Bohemorum rebellio, & rumor haud temere gliscens, plerosque Principum protestantium in Germania consilia cum Bohemis adversus domum Austriacam conjunxisse, & mox etiam arma consociaturos. Sed quamquam hæc ita essent, minime dimotus est a proposito piissimum Neoburgensium dux Wolfgangus Wilhelmus. Duumviros probatæ fidei circumire jubet singula regionis oppida cum mandatis, ut quoscunque invenerint in retinenda hæresi pervicaces, exilio damnent. Ne tamen videretur hæreticos ad rectam fidem vi potius, quam suasionibus & ratione compellere, Duumviris socium addidit ex nostris P. Michaelem Syboldum, acris ingenii virum, & religionis studio flagrantissimum, qui prius vocatos ad concionem populos officii commoneat, errorem dedoceat, & ad veritatem alliciat. Suas quisque partes strenue pegerunt viri illi tres: totumque Norici Palatinatus tractum obeuntes, intra spatium unius anni rem ita ad votum consecerunt, ut catholicum ubique cultum feliciter restituerint, solutis ab hæresi hominum amplius viginti tribus millibus, & trecentis. Scio a quibusdam Syboldum fuisse reprehensum, quasi in eo negotio male abusus fuerit potestate quam habuit a Principe, & ultra quam deceret hominem religiosum progressus fuerit. Sed defensio egregie est a Duumviris apud P. Christophorum Grenzingum provincialem, qui cum rerum ab eo gestarum quæstionem pararet instituere, alienum esse a moribus Societatis profitebatur, ad tuendam causam religionis quidquam aliud, quam doctrinam & hortationes afferre. Negarunt Duumviri, quæcunque de Syboldo circumferrentur vera esse. Quod si tamen in aliqua re videri posset modum sui ordinis prætergressus, dandum id fuisse temporis, dandum præsentis rerum necessitati. Denique constare sibi, nisi ille vim aliquando exeruisset, negotium non fuisse progressurum, omnemque susceptæ expeditionis fructum facile amissum iri. Qua defensione Grenzingus aut victus, aut victo similis, nihil gravius statuit contra Syboldum; quin rogante Palatino, ut hominem adeo de religione meritum in eodem ministerio relinqueret, relinquere coactus est. Addidit tamen e nostris socium, cujus præsentia deinceps intra præscriptum contineretur.

24.
P. Michael Sy-
boldus ab ali-
quibus accusa-
tur, defenditur
ab aliis.

25.
Labores & fru-
ctus Castrensis
missionis in ex-
ercitu Bavarico.

Eodem anno Maximilianus Bojorum dux exercitum scripserat eo animo, ut recuperaret Cæsari Bohemiam, quam hæretici perduelles, ut alibi dictum est, Friderico Rheno Palatino tradiderant. Prius tamen quam castra moveret, ut erat singulari religione Princeps, impetravit a provincia Præposito delectos socios duodeviginti, qui exercitum in expeditione Bohemica sequerentur. Spectabatur in eo numero P. Jeremias Drexellius, jamdiu librorum pietate & elegantia tota Germania clarus, & tunc in aula Bavarica divini verbi minister. Præses omnium constitutus P. Joannes Buslidius, qui erat Duci a confessionibus, Jam

Jam vero quæ ad utilitatem copiarum singuli gesserint si per partes exequi velim, infinitus sim. Multos a scelere ad frugem traxerunt: multos item ex diversis hæreticorum sectis ad Ecclesiam reduxerunt. Nonnullos cum invenissent sacrorum ordinum desertores, qui Christi stipendia mutaverant cum profanis, eos permoverunt, ut ad priora castra reverterentur. Ægris pariter ac valentibus semper præsto fuerunt, sacra omnibus ministraverunt. Tunc demum cum Palatiniani ad Pragam prælio superati locum caërorum fauciorumque corporibus stratum reliquerunt, Patres obequitantes, & ad singulos morientium accurrentes, ut plerique decederent expiati perfecerunt. Eorum vero incommoditates quis explicet satis? Non alio plerumque utebantur lecto, quam nuda humo; tunc secum præclare agi putantes, cum aliquid paleæ substernebatur. Totum sæpe diem progrediebantur cum exercitu. Sub vesperam itinere fatigatis hospitium erat, quale locorum angustia patiebantur, nunc stabulum, nunc horreum. Victus mucida panis frusta, & aqua interdum limosa. Ut minime mirum sit, eorum aliquos, viros cætera robustos, tot ærumnis oppressos concidisse. Sex ipsi mortem oppetiere. Præcessit reliquis P. Joannes Pfiffer, gente Helvetius, patria Lucernensis, ex ea prænobili Pfifferorum familia prognatus, cui Lucernense collegium Societas debet. Vir impiger, dum nulla re militibus Hungarica, quam dicebant, lue laborantibus deest, pestilenti morbo ex contagione contracto decubuit: deportatus autem e castrensi nosocomio Dilingam, ibi vitam præclare actam pie admodum clausit. Secuti Patres Christophorus Holzleiner, Martinus Lebart, Michael Kager, Joannes Deit, & Joannes Rasler, operarii omnes laboriosi strenuique, & ipsa mortis causa, charitate scilicet, *quæ majorem nemo habet*, satis commendati.

Præter hos, quorum invidia magis quam luctu prosequenda mors, alios plures intra provinciam socios sui quemque casus absumperunt. Præ cæteris desiderati Patres Andreas Mayr, & Joannes Sutor. Prior jam septimum annum collegio Ratisbonensi præerat, non minori disciplina commodo, quam habitationis. Hanc enim novo & amplo auxerat ædificio. Illam sancte adeo custodiebat, ut auditus sæpe fuerit cum diceret, malle totum dirui quod extruxerat ædificium, quam vel minimam legum domesticarum infringi. Mortem etsi immaturam excepit, non solum intrepide, sed etiam cupide, illam identidem usurpans Apostoli vocem: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Atque ubi abesse propius sensit migrandi horam, ultro Sacerdotem admonuit, sibi ut effigiem Christi, & cereum Ecclesiæ ritu sacratum in manus daret: quibus vix acceptis novissimum agonem ingressus, inter solennes ejus temporis preces animam exhalavit, 1x. Cal. Sextiles. Tria tantum vota professus fuerat. Numerabat vitæ annos paulo amplius quinquaginta. P. Joannes Sutor nondum expleverat duodetrigesimum, & jam omni genere virtutis spectabatur, sed sui præsertim contemptu, parendi alacritate, & animarum exexplebili studio. Philosophiæ professor Ingolstadii, quos dies habebat a functionibus sui muneris feriatos, eos, excurrens in pagos proximos, solebat rusticis excolendis impendere. Hoc autem anno, cum exercitus catholici foederis in castris esset prope Dilingam, multique militum pestilentibus febribus confligaretentur, ad eos juvandos perrexit in publicum nosocomium, ubi dum miseris opitulari studet, atque hunc humi jacentem in ulnas tollit, illum cibo & alloquio recreat, singulorum confessiones excipit; pestem eandem hausit, qua post paucos dies consumptus est Dilingæ pridie Cal. Augusti. Ferunt, morti proximum moriendi facultatem a rectore petiisse, nec ante expirasse, quam impetraret. Adeo imitari illum studuit, qui *factus est obediens usque ad mortem*.

Vertebat idem annus, cum Eistadii solemniter peracta est dedicatio novi templi, quod haud ita pridem ædificandum sumperat fundator collegii Christophorus a Westerfetten Episcopus Eistadiensis. Molem inter paucas splendidam, & sumptuosam dedicavit munificus idem Antistes: quæ ut res pro dignitate fieret, tres ad sacram celebritatem invitaverat Episcopos S. R. I. Principes, videlicet Her-

26.
Sex Patrum
præclara mors
in obsequio mi-
litum.

27.
Mors & elo-
gium P. Andree
Mayr.

28.
Et P. Joannis
Sutoris.

29.
Dedicatio novi
templi Eista-
diensis.

30.
Inducitur So-
cietas Fribur-
gum in Brisgo-
via.

31.
Noſtri poſſeſ-
ſionem capiunt
gymnaſii Fri-
burgenſis.

32.
RES RHENANÆ.
Quam adver-
ſa eſſet conditio
temporis huic
provinciæ.

33.
Initia collegii
Aſchaffembur-
gici.

Herbipolenſem, Auguſtanum, & Bambergienſem, ite nque Palatinum Ducem Neoburgicum, cum Præſule Eluacenſi. Conſecrata eſt nova ædes ſub invocatione Angelorum III. Cal. Septembris: ſinemque ſacræ cæremoniæ impoſuit drama de Angelis tutelariſibus in collegio noſtro ſcenæ commiſſum, cui cum cæteri ſpectatores, tum qui convenerant Principes valde plauſerunt. Duobus poſt hæc evolutiſ mensibus, recipitur Friburgi in Briſgovia Societas, & in academiam illius urbis admittitur. Rem iſtam ante triennium moliri cœperat Maximilianus Auſtriacus, frater Matthiæ Caſaris, Briſgovia Princeps: ſed dum negotium miſſis ultro citroque litteris diſceptatur, deceſſerat Maximilianus re infecta. Tyrolenſi poſtmodum principatu cum ditone Briſgovia ad Leopoldum Archiducem devoluto, revixit cura eadem in animo Leopoldi. Is vero Princeps, cum eſſet exemplo majorum ſuorum ordini noſtro addictiſſimus, ut rem quantocyus perficeret, proſectus ipſe Friburgum, magiſtratum urbanum primo, deinde academicum auctoritate adegit, ut Societatem in urbem ſuam, & in academiam reciperent, noſtrisque hominibus ſcholarum, quas inferiores vocant, & philoſophicarum omnium adminiſtrationem permitterent. Theologicæ facultatis duæ tunc ſolum nobis tribuebantur cathedræ: ita tamen ut liceret Archiduci tertiam addere, ubi aliæ vacarent. Antiquis profeſſoribus locum Societati ceſſuris datur fides, curæ fore Leopoldo, ne quid illis ad vivendum deeſſet. His ita conſtitutis, condicitur dies ad xv. Cal. Novembris, qua die noſtri in academia gymnaſio initium docendi faciunt. Quia tamen deliberatum erat humaniſſimo Principi cæremoniam illam interventu ſuo honeſtare, nec adeſſe ante dimidium Novembris poterat, extracta fuit res uſque ad xvii. Cal. Decembris. Eo die Patres celebritate quam potuit maxima in academiam introducti fuerunt. Aderat Leopoldus, ejuſque frater Carolus, cum magno procerum comitatu. Cum Principes conſediſſent, proceſſit in medium qui Leopoldi nomine verba faciens, proluxa oratione narravit, ut olim magnis ſumptibus Auſtriaci Princeps Friburgenſem academiam inſtituiſſent, ut eandem ſecutiſ temporibus fovere, ac beneficiis ornare perrexiſſent. Cauſas deinde expoſuit, ob quas placeret nunc profeſſores Societatis in eam cooptari, id fieri inquiring totius Auſtriacæ domus conſenſu & voluntate. Sermone tandem ad Academicos, & ad Senatores converſo, illos rogavit, ut noſtros deinceps homines tanquam ſui corporis membra ſuſciperent: hos, ut eorſdem veluti cives ſuos defenderent ac tuerentur. Ad hæc primo Rector academiæ, deinde Syndicus civitatis pauca pro re & loco reſponderunt: utriuſque autem eadem fuit ſententia, ſe juſſa Principis prolixè & cumulate facturos. Actum clauſit oratione latina, apta, & eleganti unus ex noſtris, cui data provincia agendi nomine Societatis gratias Archiduci Leopoldo, academicis, & civitati. Quibus cum magno omnium aſſenſu, & ſecundiffima approbatione peractis, qui fuerant ad celebritatem vocati, eos Leopoldus intra ædes novi collegii convivio excepit. Sic inita eſt poſſeſſio collegii Friburgenſis, quod bello Svecico pene ſubverſum, deinde e ſuis ruinis feliciter renatum videbimus ſuis locis. Sed de provincia Germaniæ, quam dicimus ſuperiorem, ſatis multa.

Eodem interea anno in Rhenana duo de novo collegia Societas adepta eſt: id quod fieri in ea temporum iniquitate potuiſſe, nemo non mirabitur. Bello enim Bohemico tunc ut cum maxime Germaniam urente, ejus incendiî flamma miſere conſagrabat, non ſolum ditio Palatini ſeptemviri, verum etiam omnis finitima regio, arma hinc Hiſpanis pro Caſare, inde Batavis, aliſque proteſtantium pro Palatino circumferentibus. Sed Catholicis adeo inſederat, ad religionem, rerum utique ſummam, vel conſervandam, vel reſtituendam nihil aque valere, atque operam Societatis, ut quocunq; fortunarum diſpendio eam ſibi quærendam exiſtimarent. Hac mentis inductione Joannes Svicardus Archiepiſcopus Moguntinus miſſionem, ut loquimur, duorum triumve ſociorum per aliquot annos aluerat Aſchaffemburgi. Nunc vero, licet ob motus bellicos, qui præ cæteriſ Germaniæ populis Rheni accolæ aſſigebant, in magna eſſet rei pecunia-

cumiaræ difficultate, collegii ibidem fundandi initium fecit; extruæque domo, & sacra ade fatis magnifica, censum assignavit, unde duodecim fere capita sustentari non incommode possent: plura etiam pollicitus, si meliora tempora rediissent. Sedem Aschaffenburgicam accepit cum magna gratiarum actione Societas: utque Principi in nostrum ordinem beneficentissimo satisfaceret, dedit jam tum civitati tres latinæ magistros, & operariorum certum numerum, qui munia omnia, quæ in collegiis geri solent, exercerent. Circa idem tempus Comes Palatinus Rheni Dux Neoburgicus, cum statuisset Dusseldorpium, urbem Montensis ditionis caput, aulam transferre, duos a provincia præposito Sacerdotes poposcit, quos haberet apud se sacrorum ministros. Dati sunt Patres Joannes Lippius, & Bernardus Bucholtzius. Eorum autem consuetudine Princeps adeo est delectatus, ut tamen tunc ab ærario inops, collegium Societatis fundare decreverit Dusseldorpii. Per amplis igitur ad hunc usum paratis ædibus, & censu idoneo constituto, obtinuit a Mutio, ut hoc ipso anno Societas quatuor ejus urbis litterarios ludos administrandos sumeret: quo collegium Dusseldorpense simul inchoatum absolutumque est. Herbipoli seminarium erat optime constitutum, & alumnorum frequentia nobile, olim ab Episcopo ejusdem urbis Julio Echtero conditum. Echteri successor Joannes Godefridus ab Aschauen, vix adita Episcopatus possessione, rogavit Præpositum Generalem, ut seminarii administrandi curam permetteret Societati. Obstitit aliquandiu Mutius, variisque rationibus id oneris amoliri studuit. At demum coactus Episcopo morem gerere, admisit seminarii procurationem, qua hætenus retinetur.

Rebus tam belle fluentibus mediam se injecit cruenta mors P. Godefridi Thelen, initium omenque molestiarum ingentium, quæ annis proxime consecutis Rhenanam Societatem affecerunt. Moguntia discedens, & Novesium, uti jussus fuerat, petens Thelenus, locum sibi duobusque aliis de Societate conduxerat in oneraria, quæ Moguntia secundo Rheno Coloniam tendebat. Iter futurum erat præter Baccaracum, & Caubem, duo oppida præsidio Batavorum occupata pro Principe Palatino. Iis in locis, cum nescio quid portorii soleret a nautis prætereuntibus pensitari, nostris auctores erant cæteri vectores, ut donec suspecta loca præterissent, vestem Societatis mutarent. Si quo casu agnoscerentur a Calvinianis, imminere periculum demonstrabant. Consilio acquieverunt alii duo. At Thelenus, indignum dictitans in Dei & Ecclesiæ causa formidare, nullis adduci suasionibus potuit, ut nec ad punctum temporis tunicam Societatis exueret, quam esse sibi vita ipsa cariorem profitebatur. Ut navis Baccaracum attigit, dum portorium exigitur, conspicati sunt hominem Societatis quidam præsidiariorum. Clamorem tollunt, adesse in navi Jesuitam, haud dubie hostium exploratorem: macandum hominem sceleratum: reliquos sibi in prædam deberi. Nec mora. Arma certatim expedientes, vim parabant. Sed nauclerus mira celeritate subducens navim, eamque longius agens a ripa, elusit nefarios conatus, & ad alterum Caubensium oppidum, quod paulo inferius situm erat, iter direxit. Verum hic nihilo meliora. Præsidarii, iive fraudem aliquo metus indicio suspicati, sive aliunde fugæ Baccaracensis admoniti, vectores vix in littus expositos hostiliter adoriuntur. Pars capti sunt, pars fuga dilapsi. Thelenum tunica Societatis notabiliorem faciebat, quam ut ex oculis hæreticorum elabi posset. Dum fugam captat cum paucis, & evadere nititur in vicinum collem, eminus infecuti milites, dato signo, ferreas fistulas in istum expediunt. Sex ex illo numero plumbeis transverberati glandibus ceciderunt, in quibus P. Thelenus fuit. Hunc seminecem adhuc, & orantem sicarii vulneribus repetitis confecerunt: vel odio catholice religionis, vel certe Societatis, cujus rationes videbant cum religionis rationibus esse conjunctas. Ad vestes detrahendas conversi, nihil apud ipsum invenerunt, præter hirtum fectis cingulum, flagellum e funiculis, ceream agni cœlestis effigiem, & paucas sanctorum reliquias. Namque hæ religiosi viri opes erant. Cadaver in paludem proximam cum ignominia projecerunt. Verum illud Caubenses oppidani

ab anp11A
liby sud 1111111
1111111

34.
Fundatur col-
legium Dussel-
dorpii.

35.
Seminarium
Herbipolense
nostrorum curæ
committitur.

36.
P. Godefridus
Thelen ab hæ-
reticis interfici-
tur.

po-

^{37.}
Aliqua de ejus
virtutibus indi-
cantur.

postidie loculo inclusum, & in urbem suam auctum pie condiderunt. Nec ita multo post, Hispanis Caubensi arce potitis, dederunt operam Patres collegii Moguntini, ut inde aveheretur denuo, & in æde Marienthalensi cum honore componeretur. Hunc habuit vitæ exitum P. Thelenus, vir in annalibus suæ provinciæ ob virtutum exempla magnopere commendatus. Orandi studio, demissione animi, & assidua corporis afflictatione, omnibus quamdiu vixit admirationi, post mortem desiderio fuit. Sacer pietatis, quo flagrabat, ardor eminebat in ejus vultu, & quoties verba de Deo faceret, animos audientium inflammabat. Natus erat Wickradii in ducatu Juliacensi. Cæsus est VII. Cal. Octobres, anno ætatis trigésimo secundo, in ita Societatis octavo. Gubernator Caubensis in eo loco, ubi cæsus fuerat, sacellum excitavit S. Crucis titulo insignitum, & rei gestæ historiam pictis tabulis adumbrandam curavit.

^{38.}
RES POLONIÆ,
Socii peste la-
borantibus fa-
mulantur.

Dum hæc gerebantur in Germania, Patribus provinciæ Polonæ pestilentia late dominans patientiæ materiam amplam, & laudis præbebat. Prima mali damna senserunt in Prussia Gedanum, & Mariæburgum, urbes hæresi fere ex toto corruptæ. Utrobique sæviente lue res a nostris gesta est ex spiritu Societatis, ejus in hujusmodi calamitatibus operam semper, atque solertiam æqui pariter iniquique laudare coacti sunt, & nunc etiam hæretici laudaverunt: nemine non intelligente, ad juvandos hujus generis ægrotos non aliunde suppetere posse stimulos, nisi a charitate christiana. Gedani præter homines Societatis nemo erat, qui Catholicis morbo contactis auderet sacra ministrare. Itaque simul ac quispiam in se pestis indicia deprehenderat, nostros pœnitentiæ causa adibat, qui sui copiam nulli denegabant. At P. Christophorus Faber, natione Germanus, patria Herligenstadiensis, satis non habens venientes ad se ægrotos excipere, eorum ipse ultrò obibat domos, opem omnibus circumferabat, nullo neque labore, neque periculi metu deterritus. Hinc contagione ejusdem mali prostratus, pro fratribus animam posuit pridie Nonas Decembres, anno ætatis suæ trigésimo sexto. Mortui funus frequentissima civitas celebravit, ipsis passim hæreticis tam eximiam viri charitatem laudantibus. Simili modo Mariæburgi Patres, quamdiu vis morbi sævire perrexit, numquam intermisere vel in templo, vel in privatis civium ædibus, consentibus aures dare. Quod exemplum admirantes heterodoxi, ministris suis palam ac libere exprobrabant, quod nequaquam iis, quorum se pastores dicerent, similem curam impenderent. Lues iterea ex Prussia per reliquas Polonica ditionis provincias vagata, præcipuas urbes invasit, omnes conterruit. Nusquam sibi, institutisque suis Societas defuit. Jaroslavia, reliquis Presbyteris vel absumptis, vel ad extrema ductis, vel etiam metu delitescens, Patres Paulus Zaborowskius, & Andreas Staskowskius multorum instar fuerunt. Neque solum ægrotis solatia mortis, sed etiam pauperibus vitæ adjumenta præbuerunt. Accolis quippe nihil omnium quæ humanus usus requirit in urbem importantibus, pesti fames accesserat, malum æque exitiale, quo plures peribant. In ea rerum angustia duo quos dixi Patres frequentissimos greges inopum ad collegii januam quotidie convenientes benigne sustentaverunt, erogata in hunc usum annona, quam sibi ad plures annos paraverant. Lublini, ut constitit luem esse intra moenia, nostri ad eam avertendam quoddam piaculi genus instituerunt, quod Catholici frequentantes, fructum pietatis optatissimum ceperunt, malo intacti omnes, quo plurimi hæreticorum absumpti fuerunt. Patres Pofnanienses, metu pestis proxima devastantis ad salutem civium usi, multa de novo supplicia, religiosque varias in urbem induxerunt. Mos ibi inoleverat, ut per dies bacchanalium plebs male feriata, magno fragore ac strepitu, œnophorum amplum cervisia plenum per compita circumduceret. Incedebant circum ludibundi e populo plures, & corpora indecoris motibus agitantes, obvios quosque oblatis cyathis ad bibendum invitabant. Profana celebritas in piam supplicationem mutata est. Ejus loco institutum, ut collecti ex urbe tota quotquot mendicando victitabant pauperes, longo agmine ad collegii nostri ædem deducerentur, & post com-

^{39.}
P. Christopho-
rus Faber eo in
ministerio pie
moritur.

^{40.}
Charitas nostro-
rum erga ægro-
tos, & paupe-
res Jaroslavia.

^{41.}
Excitatur Lu-
blini & Pofna-
niæ pietas metu
pestilentia,

munionem sacrorum lautis epulis exciperentur : demum vestibus ex ditiorum liberalitate corrogatis donati dimitterentur. Præter hæc, toto pestilentia tempore civitas concionum assiduitate, & usu sacrorum ita per nostros homines fuit exercitata, ut per hæc piacula placatum coeleste numen crediderint multi. Sane Pofnanienfes, quod vix sperandum videbatur, imminentem cladem feliciter evaserunt. Secus accidit Sandomiriæ, ubi pestis ante fuit detecta, quam mali indicium præcessisset : quodque dolorem nostris auxit, e collegio Societatis manavit in publicum. Hauserat illam P. Nicolaus Kosakius contagione cujusdam advenæ, quem peccata confitentem audierat. Hinc domestici prius, deinde cives infecti fuerunt. Erat ibi seminarium nostrorum juvenum humaniora post tirocinium studia repetentium. His ut prospiceret rector, in prædium dici fere iter distans celeriter educendos curavit. Sed ne hic quidem licuit tutis & salvis esse. Reversi peregre duo sodalium, in hunc quoque locum luem nescientes intulerunt. Juvenes consternati prædio demigraverunt, receperuntque se in silvam proximam, ubi tuguriis tumultuario opere excitatis ultra mensem perincommode habitaverunt, nullo neque inter se, neque cum aliis commercio: donec Sandomiriam reversi, urbem desolatam, ac de quinque quos reliquerant domi Patribus, duos peste extinctos invenerunt. Savientem interea toto regno luem aliæ atque aliæ calamitates cumulaverunt. In Valachia exercitus regius a turcico obsessus, etsi numero longe impar, sæpe hostem cum magna clade repulerat. At tandem inopia rei cibariæ coactus egredi vallo, & per montes reditum in Poloniam querere, obrutus numero hostium, profligatusque est. Pluribus cum ipso duce Stanislaio Zolkevikiõ interfectis, captis non paucis, reliquos fuga dissipavit. Inter captos inventi nostrorum duo, qui exercitum in Valachiam ad ministeria sacrorum secuti fuerant. Sub idem tempus Tartari, eruptione facta, usque Leopolim prædabundi excurrerunt, agros quaquaversum ferro aut igni vastaverunt, pecorum atque hominum ingentem numerum abegerunt. Neque id sine vulnere Societatis fuit. Præter duos rei domesticae adjuutores crudeliter interfectos, capti sunt prope Camenecum duo insignes operarii, P. Joannes Tarnowskius, & P. Bartholomæus Volherius. Abducti autem in servitum, habiti sunt a barbaris tam inhumaniter, ut ambo intra quatuor menses molestiis captivitatis confecti interierint.

Tot jacturis accessit moeror de aliis fociis sane præstantibus, qui naturalibus extincti causis naturæ debitum solverunt. Memorandi in primis Patres Gaspar Sawickius, Ertmannus Tolgsdorffus, & Stanislaus Gawronskius, de quibus singulis aliquid nostro more libabimus. Sawickius Vilmæ in Lithuania natus, Romæ Societati se addixerat, cum esset annorum viginti quatuor, jamque philosophica studia confecisset. Post datam theologiæ operam in collegio Romano, in Poloniam est missus, ubi vitam reliquam egit peræque clarus doctrina, quam editis diversi argumenti opusculis ostendit, ac religiosâ prudentia, cujus illustria documenta dedit Cracoviæ per annos novem, cum tironum institutioni præset, atque iterum per annos quinque, cum domum Professorum administraret. Erat apud regni proceres, cum ob virtutis opinionem, tum ob suavitatem ingenii mire gratiosus. Palatinus Sandomiriensis Georgius Mnizekus, cum filiam Demetrio Moscorum magno Duci desponsam deduceret in Moscoviam, eum itineris comitem habere voluit : quod tamen inauspicato evenit, accensa inter nuptiales faces horribili seditione, trucidato Demetrio, toto ad arma consternato Moscorum imperio. Per eam occasionem Sawickius cum regis legatis in carcerem fuit conjectus, ubi annis continenter tribus inclusus, non minorem agendi, quam patiendi materiam habuit. Redditus Poloniæ aliud suscipere iter cogitur Romam, comes additus Paulo Volukio tunc Luceoriensi, postea Uladislaviensi & Pomeraniæ Episcopo, qui a Rege Sigismundo ad Paulum V. Pontificem mittebatur. Inde redux eligitur provinciæ suæ procurator, & redire Romam jubetur denuo. Sawickius honorem & incommoda illius itineris enixe deprecari : morbos varios, & provecam ætatem excusare.

T. I.

H h

Suas

^{42.}
Socii Sandomirienses pestilentia misere conflictantur.

^{43.}
Aliæ Polonorum calamitates, & nostrorum damna.

^{44.}
Mors & elogium P. Gasparis Sawickii.

Suas rejici preces videns, dedit se in viam denuo ex obedientia: quodque futurum prædixerat, itineris & vitæ finem eundem habuit. Rebus enim prospere confectis Romæ, dum revertitur in Poloniam, & jam ab ejus finibus quindecim tantum millibus passuum abest, haud procul Francofurto ad Oderam calculi doloribus confectus decessit in ipsa qua vehebatur rheda, peracta prius confessione piaculari apud assidentem sibi P. Simonem Niklevicium Lithuanæ provinciæ procuratorem. Sawickii obitum magno luctu sunt prosecuti focii in Polonia omnes, sed illi in primis, qui ad Romanum iter invitum ac renuentem compulerant, sibi jacturam tam cari capitis imputantes quodammodo. Corpus Pofnaniæ delatum, & in aede collegii nostri conditum est 1x. Cal. Februarias, die post ejus obitum sexto. Numerabat vitæ annos sexaginta octo, quorum quadraginta quatuor in Societate confecerat.

^{45.}
Obitus & elogi-
um P. Ert-
manni Tolg-
dorffii.

P. Ertmannus Tolgfordffus natione Borussia, ante quam cooptaretur in Societatem cum esset Canonicus Gustadiensis, plures continenter annos versatus fuerat in Livonia, eoque tempore oblitteratam tristi annorum quinquaginta veterno religionem, ac propemodum sepultam excitaverat apostolicis concionibus, & conscriptis vernaculo sermone libris utilissimis. Laudabant ejus eruditionem ipsimet hæretici: modestiam & facilitatem amabant. Itaque cum adduci non possent a Sigismundo Rege Polonia, qui Livoniam de Moschis receperat, ut Societatem Rigam revocarent; non ægre tamen passi sunt, ut bona collegii Rigenis cum templo Societatis Tolgfordffo servanda committerentur. Ille sic ea administravit, ut si sociorum unus fuisset. Templum adornavit, conciones, & ritus ecclesiasticos restituit: cumque non essent in promptu libri, unde peti possent hymni, antiphonæ, & alia id genus, quæ in choro cani solent dum res divina fit; ipse omnia diuturno usu, & fideli memoria olim complexus, digessit in libros, & pueros a quibus canerentur instituit: qui quidem libri nunc etiam in aede S. Jacobi, & in tota Livonia retinentur. Recepta tandem est, & admissa Rigæ Societas anno MDLXXXI. Tunc Tolgfordffus commissam sibi domum reddidit Patribus, seque illis socium, tria vota religionis nostræ professus, addidit. Tirocinium Cracoviæ posuit virtute jam veteranus. Inde Rigam remissus, novo ardore in salutem hominum se totum impendit. Vendensem diocæsim lustravit cum Episcopo, quam cum vidisset vitis & erroribus silvescentem, idoneos animarum cultores undique arcessendos curavit. Ærumnas & pericula viri apostolici auxit Svecus cum infesto milite in Livoniam effusus. Annos amplius quatuordecim provinciam omni clade vexarunt victrices copiæ. Oppida desolata, combusti agri, ubique hostes, aut prædones. Eos inter animose permeans Tolgfordffus, colligebat oves dispersas: religionis bellicque vulnera quocumque fas erat modo sanabat. Laboribus demum, senio, & morbis confectus, postremos ætatis affectæ annos egit Vendæ, ubi aures confitentibus, vocem audientibus, operam agris, egenis, & calamitosi dare nunquam intermisit, donec præclaris operibus immortalis est iv. Nonas Octobres, annos emensus septuaginta. P. Stanislaus Gawronskius, olim in collegio Romano S. Aloysii Gonzagæ condiscipulus & contubernalis, ejusdem imitator tam egregius fuit, ut ad exemplar quam proxime accederet. Regendis collegiis adhibitus, semel etiam universæ provinciæ præfes impositus, vim imperii in neminem exercebat acrius, quam in se ipsum: hoc maxime potestatis jure uti solitus, ut in rebus ad cultum corporis, & ad vitæ commoda pertinentibus sibi semper deteriora seponeret. Obiit 111. Idus Aprilis Pofnaniæ, elatusque est magno domi forisque luctu. Referato post biennium sepulchro, inventum est ejus cadaver, non modo integrum illæsumque, sed molle etiam, atque flexibile. Quin incisa leviter extrema auricula, sanguinem recentem fudit: quod medici communi consensu confirmarunt, non potuisse citra miraculum contingere, cum maxime indumenta, quibus erat intectum, loci humiditate putruissent.

^{46.}
Mors & elogi-
um P. Stanisl-
lai Gawronski.

^{47.}
Seminarium
Califfensæ So-
cietati adimitur.

Polonæ provinciæ damnis addenda ad extremum jactura seminarii Califfensis, quod ante annos ferme triginta Stanislaus Karnkowskijus Gnesnensis Archie-

chiepiscopus nostris hominibus in perpetuum commiserat. Censebantur in eo nobiles adolescentes ad quadraginta, nec fuerat a nostris hæcenus commissum, cur illorum educatio videretur Societati adimenda. Nihilominus Laurentius Gembickius novus Archiepiscopus Gnesnensis, speciosas obtendens causas, amovendos Calissio alumnos, & Gnesnam exportandos censuit. Suberat illa suspicio, ne proventus etiam collegio Calissienfi olim attributi, translato seminario, repeterentur. Idem quippe fuerat collegii ac seminarii fundator, & dotem utriusque domicilio constituerat in bonis Ecclesiæ Gnesnensis, auctoritate Romani Pontificis interposita. Sed periculum discussit provinciæ præpositus P. Joannes Argentus. Re enim ad Romanam curiam delata, decretum abstulit a Cardinali Cosimo Turriano, qui erat totius negotii arbiter constitutus, ut Archiepiscopus & Canonici seminarium quidem, si vellent, Gnesnæ retinerent: iidem tamen suo, & successorum nomine pollicerentur, nullo unquam tempore controversiam moturos de bonis collegii Calissienfis, mulcta proposita, si quis contra hanc legem aliquid inceptaret.

In provincia Lithuania insignem hunc annum ad memoriam temporum fecit periculum atrox Sigismundi Regis, de quo ita in litteris reperiebam. Varavia cum esset Rex, adibat identidem curiale templum, ut rei sacræ interesset. Die quadam, dum templum subit comitibus ob angustiam aditus aliquo gradu post se relictis, erumpit continuo ex insidiis sacrilegus parricida, & bipennem in ejus caput summis viribus dejicit. Omnino illi caput diffiderat, nisi Rex modica corporis inclinatione ferri aciem in sinistrum humerum deflexisset. Non diffugit propterea, non quievit scarius. Certus parricidium conficere, gladium extrahit, ictum dirigit denuo contra Principem: quem dum multi objectu corporum tegunt, Uladislavus Regis filius natu major scelestum gladio percussit, & regis apparitoribus custodiendum tradidit. Rege servato, cum esset graviter faucibus proditor, & videretur proxime moriturus, vocatur prope ex domo Professorum noster Sacerdos, qui morienti assistat. Hunc ut adstantem vidit perfidus, nihil de se ac salute sua sollicitus, unum quarit: quomodo se habeat Rex ex accepto vulnere? Bene, respondet Sacerdos. Quæ Dei benignitas est, censetur extra periculum. Infremere ad hæc homo perditus, seu verius furiosus: se ac suam dexteram execrari vehementer, quod mandatam a Deo eadem non ut par fuerat accurate confecisset. Nihil factum est ægrius, quam ut tandem post tres dies intelligeret, tam nefarii parricidii auctorem non Deum fuisse, sed malum dæmonem. Id ut evicit Sacerdos, deinde ad omnia obsequentem habuit. Respexit se miser, admissi atrocitate cohorrui. Itaque mox productus ad supplicium, mortem, & cruciatus acerbissimos æquo tulit animo: nec dum laniaretur alia audita ejus vox, nisi mitius secum agi, quam esset promeritus. Et illi quidem optimus Princeps poenam remitti cupiebat: sed tanti flagitii reum proceres eximi legibus non permiserunt.

Eodem anno, quod nemini venisset in mentem opinari, Regiomontem vocantur duo ex nostris ab acatholico principe Septemviro Brandeburgico, ab eoque non benigne solum, sed etiam perhonorifice habentur. Occasionem rei tam insperatæ inauspicatus eventus præbuit. Venationem splendidam legato Polonorum dabat Brandeburgicus: in qua cum ipse alcem felici ictu transverberasset, accidit ut glans plumbea per adversum feri latus emissa, legatum ex altera parte spectantem læderet. Casum cæteroqui fortuitum Princeps iniquissime ferens, accurrit statim, ac veniam erroris millies deprecatus, legatum apud se curandum suscepit. Illum post hæc invisens identidem, & lecto assidens, efari jubebat libere si quid vellet. Unam ille rem sibi fore gratissimam significavit: si nempe adesset unus aliquis de Societate, quicum animi arcana communicaret. Nihil moræ futurum, respondit Septemvir, quin adesset: eodemque die, missa rheda Brunsbergam, Patres poposcit duos a collegii nostri rectore: quo ipsius votis uti decuit obsecundante, par nostrorum luce palam deveci sunt Regiomontem, & palatium Principis recta petierunt. Plures ibi dies constiterunt:

T. I.

H h 2

quo

48.
RES LITHUANIE.
Periculum Sigismundi Regis ab impio parricida.

49.
Proditor vix tandem agnoscit malefactum, & pie moritur.

50.
Nostrorum duo Regiomontem vocantur ab electore Brandeburgico.

51.
Benigne habentur a Principe. Quid ibi egerint.

quo tempore, non solum inviolati, sed etiam honoribus officiisque culti fuerunt, quippe Principis hospites honoratissimi, ab eoque liberaliter, & amice habiti. Non tamen otiosi manserunt, aut solummodo in consolando legato Poloniae operam posuerunt, Præter exempla modestiæ & temperantiæ, quibus totius aulæ oculos in se converterunt, sæpe jussu Principis disputationes cum doctoribus Lutheranis instituerunt, quarum is semper fuit exitus, qualis in conflictu erroris cum veritate esse solet, ac porro debet. Sed quamquam Lutherani manifesto revicti manus dare cogentur; nemo tamen, quod ego sciam, quas tueri non poterat partes deseruit. Adeo natio hominum pervicacissima sunt hæretici, & deteriora, non tam ignorantia veri, quam animi pravitate sectantur.

52.
Obitus & elogium P. Andreae Leomanni.

Priusquam Lithuaniam deseramus, nefas duxerim non aliquam mentionem inferre de Patre Andrea Leomanno, viro non tam rebus gestis, quam molestiis fortiter toleratis tota illa provincia clarissimo, cujus vitæ finem hic annus attulit Polocix v. Idus Septembres. Olim ex collegio nescio quo Lithuanix cum exisset in agrum, oppressus repente fuit ex insidiis a Svecorum manipulo, qui præda supra quam dici possit lati ovantesque, vincitum, & ferro onustum usque in Sveciam celeriter abduxerunt, Jesuitam munus gratissimum hæreticis magistratibus oblaturi. Eo deductus, contruditur in ergastulum tenebricosum ac foedum, compedibus oneratur; quodque non nisi scelestissimis fieri solet, additur collo catena e ferro gravis, ut egre commovere se posset. Septem annos hæsit in ejusmodi carcere: nec ullum est genus indignitatis, quo non eo tempore homo innocentissimus ad inhumanis tortoribus fuerit appetitus, ut ad hæreticorum partes transfret. Equuleo tortus est semel, inedia ac siti perpetuo maceratus, nunquam tamen a constantia dimotus. Pudit demum improbos nefaria crudelitatis, & irritæ: nullamque noxam commertum, nullum tamen supplicium pro fide catholica deprecantem, ultro dimiserunt. Rediit in patriam laureatus pugil, secum ferens compedum lividas notas, & impressa carni catenarum vestigia, quæ nulla delere unquam potuit dies. Hæc ille quoties contuebatur, incendebatur cupiditate patiendi tanta, ut suppleret quodammodo inimicorum, qui nulli jam erant, injurias voluntario cruciatu, nec multo mitius haberet ipse se, ac antea a Svecis fuisset habitus. Memor se tandiu in nuda humo cubasse, nunquam amplius induxit animum ut lecto se committeret, assuetudinem obtendens, ut studium afflicandi sui tegeat. Flagra sibi duriter incutiebat. Præter herbas & frigidam, nihil omnino cibi potusque capiebat. Accidit ut collegium Polociense corripere pestilens quædam lues, qua domestici omnes, viginti numero, periculose decubuerunt. Leomannus, qui valeret unus, curam omnium suscepit. At dum charitati plus nimio indulget, & salutem suam, ut alienæ opituletur, negligit; morbum ex labore contraxit, quo intra paucos dies, cæteris jam persanatis, occubuit anno atatis quinquagesimo quinto. Hoc plane felix, quod ereptam sibi olim e manibus martyrii palmam quo potuit modo redemit, animam pro fratribus suis ponens.

53.
Res Bohemicæ. Insignis Casarianorum victoria ad Pragam.

Venio nunc ad Bohemiam, ubi prostratæ nuper, & vix non penitus oppressæ res Catholice religionis, & Societatis, felicius citiusque quam quisquam sperasset, restoruerunt. Novam ac latam scenam aperuit in teatro Bohemico Casaris insignis victoria ad Pragam, de qua quæ sunt exploratiora subjicio. Coronam ejus regni ab hæreticis perduellibus oblatam acceperat, uti dicebamus, anno superiore Fridericus Comes Palatinus Rheni, stimulante conjuge, Angliæ regis filia, quæ affuturas sibi opes Anglorum ad tuendam solii possessionem sperabat. Illum Ferdinandus Imperator regno extrudere aggressus, conscripsit illico militem: acceptisque ab Hispano auxiliariis copiis, ingentem equitum peditumque exercitum sub signis habuit, cui Maximilianum Bavarix ducem fortissimum, rei que militaris scientissimum cum summa potestate præfecit. Pragam regni caput recta petiit Maximilianus. Hostis ubi sensit, non legatis & litteris mittendis (quæ apud rebelles nihil proficiunt aliud, nisi ut fa-

factio moram utilem nacta crescat), sed vi, & recta ratione rem geri; Pragam & ipse magnis itineribus contendit: montem urbi imminens, quem Album vocant, occupat: locum castris opportunum capit, in quo si muniendi sui spatium haberet, defendere urbem, trahere bellum, & vincere etiam posset. Vidit hoc Bavarus, eaque propter hostes ante trahendos in pugnam statuit, quam castra communirent. Hoc consilio, quamvis contra sentirent aliqui copiarum duces, nihil cunctatus, aciem instrui, & in hostem duci jubet: hortante potissimum Dominico a Jesu Maria Carmelita excalceato, qui insigni sanctimonia vir certam victoriam auctore Deo spondebat. Certatum utrinque incredibili fortitudine, & qua pugnari decuit ubi de regno agebatur. Hora una, uno praelio bellum confectum est. De triginta millibus, quot in Friderici castris stabant, plerique capti sunt: plures hausti Moldava fluvio Pragam alluente: paucissimi fuga lapsi. Fuit in his ille ipse unius anni rex Fridericus, qui regno male parto desperans, ignobili fuga se proripuit, & post errores varios, ad Batavos tandem devenit: ubi delituit diu principatu suo, & regno non suo spoliatus, Europæ fabula, ludibrium fortunæ, principibus vero memorabile documentum, ut suo contenti aliena non invadant. Paucis post pugnam mensibus quidquid usquam Palatinus Bohemici regni possederat, Casari recuperatum est: quod sive victoriæ magnitudine, sive præpropere perduellium desperatione contigerit (utrumque enim a diversis traditur), certe sine singulari divinæ providentiæ consilio factum non videtur. Notarunt multi diem, & locum, quo tantam cladem Palatinus accepit, & ex utroque confecerunt, poenam fuisse divinitus illatam pro impietate ipsius, atque perfidia. Dies fuit octava celebritatis omnium Sanctorum, quorum Palatinus cultum impie execrabatur. Et forte inciderat in eandem diem Dominica post Pentecostem vigesima, secunda, cujus in Evangelio legitur illa Christi Domini divina vox: *Reddite quæ sunt Casaris Casari*. Locus idem fuit, in quo ante annum rex fuerat salutat. Pragenses ergo a Friderico deserti, ne suam simul culpam, & victoris iram pertinacia auferent, postridie se Bavaro permiserunt. Deditis clementer accepit Maximilianus: eorum tamen postulata de religione, & integritate veterum privilegiorum, rejecit ad Casarem. Rebus deinde ita compositis, ut nihil moveri contra quietem publicam posset: tradito urbis imperio Principi Leichtesteno: copiis Joanni Tillio conceditis, autem finem Novembris in Bavariam rediit auctus Palatini principatu, qui superior dicitur. Porro recepta Praga, cujus præcipue viribus stabant res Bohemici foederis, ceteræ regni civitates ad officium redierunt, nec Moravi ac Silesitæ diutius in contumacia perstiterunt.

Jam ut ad res instituti nostri veniamus, Casar acceptis victoriæ nunciis, post redditas auspici Deo publicas gratias, & vota perfoluta, præcipuam suscipit curam de religione apud Bohemos in decus pristinum restituenda. Illud statim decrevit, ut sua Societati domicilia, & omnia quæ ante possederat redderentur. Itaque x. Cal. Decembres, die videlicet post victoriam decimoquarto, P. Valentinus Coronius, & alius Sacerdos Pragam venire: nec facile dixerim, quanta excepti sint Catholicorum gratulatione & lætitia, quam hæreticorum silentium & moeror cumulabat. Mulier de vulgo civium, memor ante trigessimum mensem indictum Societati fuisse æternum a Bohemia exilium, ut reduces conspexit in urbe Patres: *O brevem*, inquit, *æternitatem!* Quod ejus scite dictum urbe tota cum magno bonorum plausu volitavit. Litteras nostri habebant a Casare ad Leichtestenum proregem, ut eos in possessionem adium suarum, & adis sacræ postliminio immitteret. Immissi sunt ipsa die Clementi Martyri sacra, cujus titulo ac patrocinio collegium Pragense gaudet. Sed nimum quantum mutatam invenerunt domicili formam, & templi. Paucorum mensium inquilini, præter parietes & tectum, vix quidpiam integrum & intactum reliquerant. Cura omnium prima fuit repurgare templum Picarditarum sordibus inquinatum, restituere poenitentia tribunalia, aras, & imagines sacras, quæ om-

54.
Clades & fuga
Friderici comitis
palatini.

55.
Casari Bohemia
tota subjicitur.
Quædam
notabilia in hoc
eventu.

56.
Societas in Bohemiam
revocatur.

57.
Quale invenierint
nostri collegium
Pragense.

omnia hæretici amoverant, aut scædaverant, restaurare. Dominica prima Adventus sacrum in eo solemne celebratum est, & gratia superis hymno consueto persoluta. Scholarum initia tantisper differri oportuit, tum ob angustias rei domesticæ, tum quod aulas hæretici scammis, exedrisque, atque omni reliquo instrumento nudaverant. Coronium interea recentis adhuc naufragii reliquias colligentem benigne juvit amicorum liberalitas. Domus collegio vicina, quæ Comitis Slixii rebellis fuerat, tot damnis compensandis Societati donatur. Nec parvo, ut in malis, solatio fuit argentea templi supellex, quam Patres ante discessum partim domi occultaverant in latibulis, partim apud amicos clam deposuerant. Hanc, frustrata hæreticorum rapacitate, integram recuperarunt. De bibliotheca exstabat decretum perduellium, ut in Corolinam Hussitarum academiam transferretur: sed dum translatio in longum extrahitur, eam Pragensis victoria in suo loco servavit. Reliqua Bohemiæ Moraviæque domicilia, præter Glaciense & Holoskoviense, pari modo recepta fuerunt, & sub initium anni proximi iterum habitari cœperunt. Paulo serius reditum est in Hungariam, ut suo loco narrabimus.

58.
Ut servata fuerit templi supellex, & bibliotheca.

59.
Excursio P. Marini de Bonis in provinciam Carascevam.

60.
Progreditur in vicinam urbem Transilvaniæ.

61.
Redit ad Carascevanos, & fructum non contemnendum colligit.

Nunc quoniam Hungariæ incidit mentio, indicanda breviter perquam frugifera expeditio P. Marini de Bonis in provinciam Carascevam. Regionem hanc, quæ in Transilvaniæ finibus posita est, egressus Alba regali petiit P. Marinus sub finem anni præteriti, ac tandem post incredibiles itineris difficillimi ærumnas attigit. Vix ullum inter Carascevanos vestigium catholici cultus exstabat. Gens barbara, & vitiiis omnibus inquinata. Quo primum in oppido rem divinam fecit, ingens hominum concursus est factus. Stabant attonitis similes, admiratione simul & letitia perfrui, cum viderent post annos centum sacrificare Sacerdotem Romanum, popularem, ut ajebant, suum. Quippe gloriantur se oriundos a veteribus Romanis, quorum hanc fuisse coloniam narrant: quin eandem, si superis placet, cum recentibus Romanis religionem profiteri se jactant. Mirus deinde ipsos invasit ardor auscultandi, & sciscitandi, quidnam Romanus Sacerdos doceret. Marinus exponere cum cœpisset, quæ esset illa, quam sibi falso arrogabant, fides & religio Romana; ingens coortus est omnium fletus, dolentium quod neminem tanto intervallo nacti essent, a quo tam præclara, tam necessaria audirent. Sane miserabilis erat gentis incertitia. Plerique Deum vix norant. Animam extingui una cum corpore arbitrabantur. Nullus poenitentia, aut aliorum sacramentorum usus: plena omnia errorum, criminum, & superstitionum. Senes, qui erant illic bene multi, nec pauci centum annos egressi, memorabant visos sibi olim pueris aliquos cœnobitas, quos fuisse Franciscanos P. Marinus conjectabat: post illud vero tempus nullum adventasse divini verbi præconem dolebant. Dum totus est in colendo arvo tot spinis ac tribulis obsito, instantem operi adeunt nuntii ab urbe Transilvaniæ vicina missi. Obsecrant, ut Catholicis in ea degentibus opem ferat. Sacerdotem apud illos nullum ab annis amplius quindecim reperiri docent. Promisit se iturum P. Marinus, si tamen per Carascevanos liceret: qui diu multumque reluctati, ea demum lege annuerunt, ut quamprimum rediret. Dat se in viam Sacerdos per infames latronibus & ficariis silvas, in quibus quatuor hominum recens occisorum cadavera conspexit. Eo delatus, exceptusque ab oppidanis tanquam Angelus coelo delapsus, animas diuturna confectas fame, & cunctis æternæ vitæ præsidii destitutas, verbi divini, & sacramentorum pabulo large refecit. Ad Carascevanos, uti promiserat, reversus, obire pagos & villas longo inter se spatio disjunctas instituit. Hic catholicos tres duntaxat, illic quinque, alibi sex, decemve, familiam aliquando integram reperiebat. Ceteri schismatici, hæretici, aut nullius certæ factionis, & sectæ: quos inter potuisse tandem stare catholicos, licet quotidianis appetitos injuriis, contemptos, vexatosque, miraculo proximum videbatur. Hærebant strati ad Sacerdotis pedes catholici, & pronis auribus animisque salutarem doctrinam, ab annis sexaginta vel octoginta non auditam, bibebant. Cum vero illum per tot inaccessa

nemora, tot vallium & fluminum anfractus, tot servitutis ac necis pericula advenisse cernerent, neque alia causa advenisse, quam ut ipsorum salutem quaereret; obstupescabant majorem in modum, & expleri gratiis agendis non poterant. Reliqui nati, & educati in errore paratos similiter ostendebant sese ad amplectendam veritatem, si vellet ipse inter Carascevanos perpetuo degere, ac docere. Sed hanc ille facultatem non habebat. Itaque latus fructu quem excerpserat ex Catholicis, dolens quod parem ex hæreticis non posset excerpere, in Austriam se recepit.

Interim in provincia Flandrobelgica, ad quam modo progredimur, per prospera & adversa res Societatis fluebant. Qui Hollandiam, & cæteras fœderatorum provincias occulti excolebant Patres, labores illi quidem vix credibiles exudabant, nec sine fructu: sed repente omnium lætitiâ unius noxa turbavit. P. Augustinus Blemmartius, operarius veteranus, & famæ semper integræ, sacra administrabat Neomagi: cum serpere per urbem rumor adversus coepit, nimis eum familiariter agere cum vidua nescio qua juvene, nec invenusta. Id ubi suboluit moderatoribus, confestim Blemmartius, etsi nullius flagitii compertus, ad extinguendos malevolorum sermones amovetur Neomago, & Harlemium cum eodem ministerio transfertur. Nec ille locum mutavit invitus. Verum ubi rescivit, ob illas quas dixi de vidua suspiciones se motum fuisse, homo supra quam deceret sui nominis studiosus, angere vehementer, ægritudinem ingentem præ se ferre, rogare demum Præpositum Provinciale (erat is P. Antonius Sucquetius), sibi ut potestatem faceret excurrendi Neomagum, ubi deliberatum haberet impactam calumniam testimonio omnium Catholicorum obterere. Negabat Provincialis id e re esse, aut a se posse permitti, cum alias ob causas, tum ob eam maxime, ne rumor jam pene civium oblivione sepultus iterum excitaretur. Effertus repulsa Blemmartius Neomagum nihilominus injussu moderatorum petit, atque hinc per litteras veniam Societatis deferendæ a Præposito Generali postulat. Causas proponit, ut putabat, gravissimas, quippe ductas ab honore & fama, quæ homini cuique carissima esse debeat. Veniam neque negavit, neque aperte concessit Mutius. Tantum rescripsit, siquidem transire vellet ad alium ordinem, in quo vetus disciplina vigeret, nihil moræ futurum quin potestas illi fieret transeundi. Cæterum videret diligenter, ne dum famæ consulere supra modum studet, & famæ, & quod magis est, æternæ salutis jacturam faceret. His ille litteris visus quiescere paululum, & meliorem mentem induere. Cum mutata voluntatis non una indicia præ se ferret, facultatem haud difficulter obtinuit habitandi, ut optabat, Trajecti ad Mosam. At paucos post menses, nemine domesticorum consilii sui præmonito, elapsus clam e collegio ad PP. Dominicanos transfugit, frustra que transfugam repente rectore collegii nostri, post dies sex veltem ejus ordinis induit. Factum excusabat Cœnobiarcha, cum diceret oblatas sibi fuisse a Blemmartio litteras, quibus haud ita pridem Mutius missionem petenti rescripsisset se daturum, si modo ad ordinem exactæ disciplinæ migrare vellet. Sed excusationem non admisit Nuncius Pontificis, ad quem delata causæ cognitio. Promissæ facultati non inesse vim facultatis pronunciavit, & suum reddi Societati hominem jussit. Quod ubi inaudit Blemmartius, captata fuga, Calcariam se recepit, urbem in ditione hæreticorum positam. Ibi fiducia impunitatis audaciam adeptus, libellos sparfit mendacissimos contra Societatem, totamque nostri regiminis formam; fabulas antiquas recoquens; ut nobis conflaret invidiam. Multis reipsa persuasit, ut a nostris in posterum abstinerent. At demum intelligens, quantum apud omnes bonos infamiam incurreret, stimulatus etiam, ut credibile est, conscientia scelerum, ad saniora consilia descendit. Resumpta quam male exuerat veste Societatis, Romam venit, se totum arbitrio Præpositi Generalis permittit. Supplicem clementer excepit Mutius, ac per dies viginti sacris Beati Parentis Ignatii commentationibus vacare jussit ab aliorum convictu segregatum. Tum accepto ejus chirographo, quo ultro fatebatur de injuria Societati fa-

62.
RES FLANDRO-
BELGICÆ.
P. Blemmartius
ob quasdam sus-
piciones amo-
vetur Neoma-
go.

63.
Neomagum re-
vertitur, & ve-
niam Societatis
deferendæ po-
stulat.

64.
Quid ad eum
rescripsit Præ-
positus Genera-
lis.

65.
Transit ad Pa-
tres Dominica-
nos sine idonea
facultate.

66.
Profugit ad hæ-
reticos.

67.
Demum satisfacit
Societati,
& legitime di-
mittitur.

facta, & culpam deprecans missionem petebat, exauctoratum sacramento Societatis dimisit.

68.
Specimen re-
rum in Hollan-
dia gestarum.

Cæterum in Hollandia, aliisque fœderatorum provinciis operarii Societatis, occulte quidem, sed tamen strenue opus evangelicum faciebant, nec mediocres laborum fructus capiebant. Lugduni Batavorum Patres Van-Tynpel, & Petrus Hollander una die, quæ fuit Paschaliæ tertia, eucharisticæ mensæ primo participes effecerunt pueros quinquaginta duos. Aderant sui singulis parentes, & præ mentis dulcedine in lacrymas solvebantur: nunquam rati fore ut hæc spectacula conspicerentur in iis terris, ubi rerum potiebantur Calviniani. Amstelodami coniectus in vincula operarius Societatis, cujus nomen est in obscuro, ex ipso carcere spolia de suis hostibus retulit. Erat in eodem carcere hæreticus, capitalis noxæ damnatus, & ad supplicium propediem producendus. Is paucis diebus nostri hominis alloquio victus, agnovit catholici dogmatis veritatem, suscepitque. At dum parat confessionem piacularem facere, alio transfertur, quo catholico Sacerdoti aditus patebat nullus. Dolebat miser, se proxime moriturum sacerdotali expiatione frui non posse. Id ipsum dolebat noster Sacerdos, cui cara illius anima salus. Idem tamen malo remedium præfens excogitavit. Edocti ab eo Catholici quidam pii quid factu esset opus, illum quem dixi hominem capite damnatum adeunt, admonentque clanculum, ut simul atque consliterit ante patibulum, primo de admissis criminibus vere & ex animo doleat: tum ut se Catholicum publice profiteatur: postremo salutationem Angelicam clara voce percurrat: affuturum enim latenter in turba spectatorum Sacerdotem orthodoxum, qui, ubi ad extrema verba de- venerit, illum conceptis rite verbis absolvat. Ajant, ita prorsus uti convenerat factum esse, magno eorum gaudio, qui rei erat conscii. Addunt, sumpto supplicio, mortui faciem apparuisse, non ut in aliis solet, cadaverosam & luridam, sed miro potius nitore fulgentem; idque Catholicis indicio fuisse animi jam beati.

69.
Collegium Cas-
letense consti-
tuitur.

Eodem anno Casleti, quod oppidum est in Flandriæ tetrarchia frequens & nobile, collegium Societati datum est. Jamdiu habebant Casletani perpetuam, ut loquimur, nostrorum missionem, quam ipsi assignata pensione annua sustentabant. Ante paucos annos impetraverant præterea tres latinæ scholas: ut jam ad collegii rationem parum deesset, ac prope nihil. At nunc censu stabili constituto, novis coemptis & instructis ædibus, comparato etiam ad templum inædificandum solo, Generalem Præpositum rogaverunt, ut domicilium Casletense in collegium reciperet. Annuit petitioni Mutius, missoque diplomate cives ita de Societate meritos collegii fundatores pronuntiavit. Antuerpiæ ad fastigium e ductum vidit hic annus templum augustæ molis, quod jam pridem in honorem Deiparæ, ac B. P. Ignatii ex publicis privatisque piorum largitionibus ædificandum susceperat domus Professorum: opus elegantia formæ, & marmorum pulchritudine mirandum in paucis, atque adeo sumptuosum, ut nihil usquam haberet in eo genere Societas, quod illi anteponeret. Ædem istam dedicavit anno proximo Antistes ejusdem urbis Joannes Malderus celebritate æque splendida, ac religiosa, quam ad octo dies produci placuit. Cæterum, ut hoc obiter notem, tanta illa moles his nostris temporibus de cœlo tacta conflagravit. Paucis ante mensibus etiam Bruxellis solemniter dedicatum fuerat templum Societatis. Sacram vero ceremoniam fecerat insigniorem præsentia Archiducis Alberti, qui affecta licet valetudine, & jam affectus morbo, ex quo paulo post obiit, tamen omnium primus divinis interesse voluit in ea æde, cujus in fundamentis ante annos quindecim primum ipse lapidem collocaverat.

70.
Perficitur
Societatis tem-
plum Antuer-
piæ.

71.
Dedicatio tem-
pli Bruxellen-
sis.

72.
Hispanorum
expeditio im-
prospera contra
Batavos.

Mortuo post hæc sine liberis Alberto Archiduce Belgii Principe, cum ad Regem Catholicum Belgii ditio rediisset, continuo inter Hispanos, & Batavos atrox bellum exarsit. Prima Hispanorum expeditione in Cassandam insulam, nihil fere aliud profectum, quam ut operariis Societatis abunde suppeteret, ubi

ubi propria sui ordinis exercerent. Batavi enim, perfoſſis magnis illis ſuis aggeribus, aperuere in humilia regionis aditum imminente oceano, quo late inundante, regii excedere coacti ſunt. Jam ergo Hiſpanis per paluſoſa, pleneque ſtagnantium aquarum incedentibus, affecta vi noxi vaporis corpora multifariam movebantur. Cum vero caſtra poſuiſſent ad Brugas, tanta vis ingruit morbi, ut languentium multitudinem quatuor urbis noſocomia non caperent. Militum ingens numerus paſſim in agro ſparſi jacebant: multi omni ſubſidio deſtituti expirabant. Hoc loco, ſi uſpiciam alias, profecit noſtrorum labor. Erant in collegio Brugenſi ſociorum paulo plures triginta, major pars Sacerdotes: cæteri, præter paucos minoris ordinis Clericos, rei domeſticae adjutores. Hi ergo corpora, illi animos ægrotantium curandos ſuſcepere. Obibant diu noctuque lectulos: ex uno ad alium diſcurrebant: quidquid uſus tabidorum poſceret alacriter capeſſebant, ne quem in tanta multitudine deſtitutum, ſolatiis vitæ præſentis, aut præſidiis futuræ relinquerent. Nec fuit ſine præmio charitas. Septem ex illo numero lues inſiit, quatuor extinxit. Par prope labor incubuit Patribus collegii Mechlinienſis, ſed minore periculo. Conſederant in ejus urbis vicinia diviſi per contubernia calones lixæque exercitus regii, natio hominum plerumque rudis, & rerum divinarum negligens. Egreſſi Mechlinia Patres ad eos procurrerunt: & quamquam initio aut repulſi, aut cum contemptu excepti, tamen inſtando perfece-
runt, ne inutilis omnino ipſorum adventus eſſet. Vix dies abiit, qua non aliquos ſacra confeſſione expiarent, & Euchariſtica menſa exciperent.

Illis ita laborantibus, quietem æternam adiit Lovanii P. Nicolaus Smith, vir enimvero præclarus, & nobis cum laude nominandus. Natus erat Antuerpiæ parentibus honeſtis, & opulentis. Ab adoleſcentia ad omnem pietatem educatus, conſilia vitæ perfectioris agitabat. Patri tamen obtemperans, uxorem duxit: qua intra undecimum menſem orbatuſ, filiolum brevis matrimonii fructum propinquis notæ fidei commendavit, ipſe majoribus ſacris initiatus ad Societatem venit. Collegio Lovaniienſi miniſter impoſitus, rem ejus domeſticam beneficiis auxit, diſciplinam exemplo non minus, quam vigilantia firmavit. Vitam denique præclare actam morte qualem optaverat clauſit. Nam cum inſtinctu neſcio quo præſentiret, ſe repentina vi morbi moriturum, unum petebat a Deo, ne id ante contingeret, quam rem ſacram feciſſet. Pii voti compos eſt factus xv. Cal. Aprilis, quo die, poſt quam rite ſacris operatus fuerat, ſubita ictuſ apoplexia corruit. Jacebat mortuo ſimilis: & nihilominus ut illatum eſt ſacrum myſticae inunctionis oleum, receptis ſenſibus copiam habuit conſcientiæ iterum expiandæ. Numerabat vitæ annos ſexaginta octo. Non erat illi inferior virtute, licet ætate longe impar, Joannes Laverman ſcholasticus, de quo Provincialis ad Mutium ſcribens, alterum Joannem Berchmans ſibi deceſſiſſe dixit. Adhuc puer pietatem meram ſpirabat; quodque in illa ætate admirandum, nullam potiorem voluptatem habebat, quam ruſticorum liberos Chriſtianæ doctrinæ præceptionibus inſtituere. Ab his initiis profectus, mirificos in Societate progreſſus fecit. Tiro veteranis exemplo erat. Nihil illo adoleſcente modeſtius. Ut animi corporiſque compositionem ubique conſtanter retineret, mente ſingebat ſe Nazarethi habitare apud Deiparam, omnemque agendi modum ſic temperabat, ac ſi ab illa ſemper conſpiceretur. Abjeſtiſſima quæque miniſteria eo obibat diligentius, quod in iis famulari cœlorum Domine arbitrabatur. Deceſſit xiiii. Cal. Februarias Ruremundæ in patria ſua, quo reparandæ valetudinis cauſa fuerat miſſus. Decurrebat annum ætatis undevigeſimum.

Jam ut in Gallobelgicam gradum faciamus, quod jam pridem optabant Patres Duacenſes, ut eorum collegium in academiã illius urbis cooptaretur, hoc demum anno ſunt conſecuti. Quo etiam tempore Abbas Martianenſis Joannes de Jancoy Benedicteſtus non contemnendum collegio cenſum addidit, & rem ſcholasticam multum juvit. Tribus omnino collegiis conſtat in Duaceni academiã facultas artium liberalium: Regio, ut vocant, Aquicinctino, & Mar-

To. I.

I i

tia-

73.
Labores noſtrorum in obſequio militum ad Brugas.

74.
Fructuoſus labor Patrum Mechlinienſium.

75.
Mors & elogium P. Nicolai Smith.

76.
Obitus & elogium Joannis Laverman.

77.
RES GALLOBELGICÆ.
Collegium Duacenſe in urbis academiã cooptatur.

78.
Fundatur colle-
gium Nivellen-
se.

79.
Seminarii Mon-
tensis admini-
stratio Societati
committitur.

80.
Ejusdem semi-
narii incremen-
ta sub nostris.

81.
Sociorum res
gestæ Malbodii,
& Duaci.

tianensi. Hoc postremum Abbas Societati permisit: quo factum est, ut omnis fere discipulorum multitudo ad nos conflueret. Nam collegii Aquicinctini magisterium jam antea penes nos ex fundatoris præscripto erat: Regium vero, utpote situ incommodum, pauci adibant. Ad idem tempus pertinent collegii Nivellensis initia. Nivellis, quæ urbs est conspicua Brabantiae Gallicanae, primum de condendo Societatis domicilio sermonem intulerunt præclaræ quædam virgines de insigni collegio, ut appellant, Canonissarum S. Gertrudis, quarum summa est in illa civitate rerum omnium auctoritas. In hunc usum Antistita, Domina de Honsbrouck, pensionem annuam testamento legaverat; exiguum tamen, & quæ vix duo sociorum paria ali possent. Quare initio data tantum est Nivellensibus paucorum capitum residentia, quam Mutius rectori Namurcensi subiecit. Residentiam ita constitutam auxit paulo post, firmavitque Episcopus Namurcensis Jannes Davinus, vir multis nominibus commendabilis: qui cum haberet Nivellis seminarium adolescentium cum annuo censu ad conducendos Ludimagistros constituto, id munus cum omni suo honorario tradidit Societati; eidemque templum vetustum S. Georgii sacrum in perpetuum adscripsit. At demum post septennium Isabella de Zuilen nova Canonissarum Antistita, & domina Nivellarum, justis & necessariis alendæ familiæ vectigalibus attributis, fundati penitus perfectique collegii laudem tulit: quam proinde præclarissimam feminam Mutius, per usitatas grati animi significationes, collegii parentem habendam censuit. Eodem anno Montensis seminarii procuratio Societati committitur. Fundaverat seminarium istud Montibus Antonia Gaudina, vidua nobilis aequæ ac locuples: cumque antea collegium nobis instituisset, multum ac vehementer optabat, seminarium quoque sui juventutem per nostros homines regi. Sape a Claudio repulsam passa, idem nihilominus a Mutio vix ad regimen Societatis evecto postulaverat. Id modo concessum illi fuit initio, ut collegii Montensis rector Sacerdotem e populo unum eligeret, qui munere isto fungeretur. Ægre enim adducebatur Societas, ut istiusmodi administrationes admitteret. Sed cum disciplina seminarii sensim, & fama fessceret sub externo moderatore, vicit demum auctoritas viri de Societate insigniter meriti Francisci Wandenburgii Hierarchæ Cameracensis, qui Mutium gravissimis litteris monuit, rem Deo gratissimam, toti que Belgio maxime salutarem fore, si quidquid illud erat oneris Societas suscepisset. Hoc ergo anno ineunte seminarium a nostris pleno jure administrari coeptum est, exclusis quibuslibet externis magistris. Numerus alumnorum ab eo tempore ita multiplicari coepit, ut cum antea vigesimum excedere non solerent, anno nondum finito expleverint octogesimum, proxime autem consecuto centesimum excesserint: multo plures futuri, si omnes, qui nomina dabant, habitatio caperet. Quare Gaudina, his seminarii sui incrementis mirifice oblectata, anus licet octoginta annorum, novum aggressa est ædificium, quo alumnorum habitationem dimidio ampliorem faciebat. Sed in ipsa operis molitione, anno post hunc tertio, vivere desiit.

De laboribus sociorum hæc præcipue scitu digna mihi in annalibus litteris occurrebant. Malbodii ebrietatem ita hoc anno repressam concionibus industriaque nostrorum reperiebam, ut caupones, quique œnopolis rem augere solebant, quererentur passim, Jesuitarum opera sibi quæstum perire. Duaci in summa annonæ caritate nostri, non solum fame laborantibus ipsi benigne subvenerunt, verum etiam exemplo & cohortationibus beneficentiam ditiorum excitaverunt, ut idem pro suis quisque facultatibus facerent. Patrum certe charitati acceptum retulerunt inopes, quod ab interitu pene revixerint. Nam cum coepissent una cum nostris hominibus adolescentes plenas cibariis corbes per urbem circumferre, & egentibus ostiatim dividere; id gestum in oculis civitatis movit Senatam, ut instituto censu pauperum, iisdem alimentis, ligna, aliaque quotidianis vitæ usibus necessaria ex arario decerneret. Multi interim intra provinciam socii decesserunt. Sed nullius tanto luctu excepta mors,

mors, ac Fratris Ignatii de Resinghem domestici adjutoris. In hoc enim uno exemplum absolutissimum, cum aliarum virtutum, tum præsertim insignis obedientiæ, ac religiosa demissionis amissum est. Clarus natalibus, & germanus frater Episcopi Tornacensis, cum tantum didicisset litterarum, quanto opus erat ut Sacerdos initiaretur, in infimo apud nos gradu mereri maluit: plus inquam commodare se posse Societati humilitate, quam litteris. Annos undeviginti inter nos vixit, eosque virtuti totos impendit. Sæpe eum frater, sæpe alii viri nobiles, ipsius olim sodales, invisum ibant. Ille his coram vili indutus tunica, succinctusque nihil dubitabat pavementum everrere, & alia mediastinorum ministeria obire, miram ore alacritatem præferens. Antequam quidquam agendum susciperet, solebat rectorem in genua provolutus rogare, sibi ut bene precaretur. Piam viri consuetudinem comprobare visus in extremo ejus actu Deus. Cum enim morti proximus a rectore similiter flagitasset, ut solito bene precantis signo potestatem sibi faceret moriendi, eo vix accepto animam exhalavit Tornaci, vi. Idus Decembres, annos natus octo supra quinquaginta.

De rebus Gallicis, si usitata excipias Societatis ministeria, pauca admodum litteræ hujus anni commemorant. Provinciæ Lugdunensi jus domicili datum, est in monte Audomari (Montelimum nunc vulgo nominant) cum æde sacra, & proventu apto, unde familia paucorum capitum aleretur. Reclamaverunt frustra Calviniani, qui erant ibi frequentes. Ipsi licet reluctantibus, nihilque intentatum relinquentibus ut rem sibi molestam interverterent, oblatam nostræ stationem bonis quibusque approbantibus obtinuerunt. Avenione interim diem clausit extremum novitius innocentia vitæ, ac pietate memorabilis, Edmundus Malpassius nomine. Is natalibus opibusque inclutus apud Sequanos, cum constitisset nomen Societati dare, videretque suis votis obstare deformitatem corporis foede gibbosi, Romam venit, ubi accidens ad genua Præpositi Generalis, tot peroravit precibus lacrymisque, ut demum admitti impetraverit. Exceptus Romano tirocinio optimus adolescens, dum religiose vitæ cursum ingreditur ardore animi summo, sensit brevi incommodam valetudini gravitatem, cœli Romani. Avenionem ergo transmittitur, si forte illius cœli beneficio melius haberet. Sed cœlo beatorum maturus cum esset, intra breve tempus, quod unum optaverat ut dicto triplicis voti sacramento moreretur in Societate, feliciter est consecutus die anni ultima. Suam erga Societatem benevolentiam, tot antea argumentis probatam confirmavit moriens, legatis domui probationis Avenionensi aureis ter mille & quingentis. Tironibus vero illustre exemplum reliquit, unde pluri æstimare condiscerent ejus conditionem vitæ, quam ipse tam peregre quæsitum iverat. Tirocinii Avenionensis moerorem cumulavit obitus Aloysiæ Dancizana. Hæc namque magnarum virtutum matrona domum illam a fundamentis extruxerat, dotaveratque liberaliter, tirones vero Avenionenses pro liberis semper habuerat. Quam benevola erga Societatem, tam excellens pietate erat Aloysia. Virgo, nupta, vidua, per omnes vitæ gradus christianæ perfectioni studuerat unice, & quidem sic, ut reliquis feminis exemplo virtutum omnium præluceret, maxime vero liberalitatis in pauperes. Hos sibi filios, quando eorum quos genuerat neminem habebat superstitem, adoptaverat: hos matris diligebat, ac rebus omnibus sublevabat: eorumque fortasse precibus debuit, quod ad annum usque centesimum senectam produxerit. Pari erga nos benevolentia, pari pietatis studio spectabatur Avenione Petrus Bellus, vir utriusque juris consultissimus, opibus idem, & auctoritate multum præstans. Is cum a prima juventute vitam ad leges religiosæ perfectionis instituisse, septem ante obitum annis, concessu Præpositi Generalis, immigravit in collegium Avenionense, ubi quod reliquum vitæ fuit pie admodum, ac religiose traduxit. Hoc autem anno moriens, simplicia, quæ nos solemus post tirocinium, vota nuncupavit, & collegio Avenionensi, præter insignem bibliothecam, censum annum trecentorum aureorum reliquit.

T. I.

I i 2

Eo-

82.
Mors & elo-
gium Fr. Ignatii
de Resinghem.

83.
RES PROVINCIAE
LUGDUNENSIS.
Collocatur sta-
tio in monte
Audomari.

84.
Mors & elo-
gium Edmundi
Malpassii novi-
tii.

85.
Mors Aloysiæ
Dancizanae. E-
jus merita in So-
cietatem, & exi-
mia sanctitas.

86.
Singularis pie-
tas Petri Belli,
ejusque obitus
in Societate.

87.
RES PROVINCIÆ
PARISIENSIS.
Mors & elo-
gium P. Jacobi
Gordoni Hun-
tæi.

Eodem anno Lutetiæ Parisiorum diem obiit suum xvii. Cal. Majas Pater Jacobus Gordon Huntlaus, natione Scotus, atque ea ortus familia, quæ Scotiæ Reges propinquitate sanguinis attingebat: vir æque doctus ac pius, totque animi ornamentis instructus, ut nobilitas generis inter postremas ejus laudes haberetur. A prima juventute Societati se addixit Romæ, quam in urbem tumultus intestinos patriæ suæ fugiens se receperat: utque jam tum deliberatum habebat contra hereticos, qui tunc late grassabantur, pro virili sua parte certare, opportuna sibi præsidia comparavit a pietate primum, quam rebus omnibus anteponebat, deinde a sacris litteris, quarum tantam est peritiam adeptus, quantam videre est in egregio volumine, quod deinde edidit, ac *Epitomen controversarum fidei Christianæ* inscripsit. Roma devectus in Galliam, Mussiponti, Lutetiæ, Burdigalæ philosophiam, ac theologiam ad plures annos docuit: eodemque tempore quæstionum, quæ de moribus sunt, juris item ecclesiastici, ac linguæ hebraicæ consultissimus fuit. Transiit inde in Hiberniam cum potestate Nuncii Pontificii. Mox Angliam Scotiamque, salutarem ubique ferens doctrinam, peragravit. At dum agit fidentius quam cruenta illa tempora paterentur, comprehensus, in carcerem detrusus, & ad tribunalia raptus fuit. Quamquam vero in ipsis vinculis præclarum fidei suæ testimonium redderet, idque capitale esset regnante Elisabetha; tamen regiæ cognitionis respectu ejus est capiti parcitum a judicibus, qui virum gloriose necis cupidissimum exilio multare maluerunt. Missionem Scoticam per diu administravit. Multa ex ejus usu salubriter providit, ac gessit, non labori, non industria parcens, ut catholicam veritatem inter populares suos aut conservaret, aut restitueret. Ejusdem rei causa itinera suscepit difficillima in Germaniam, & Daniam, seque per totam fere Europam inter sexcenta viarum incommoda circumegit. Aquitaniæ Vice-Provincialis impositus, sedulitatem, prudentiam, & nativam comitatem suam ita probavit sociis, ut jucunda omnibus ejus administratio accideret. Supremo decumbens morbo unum dolebat, quod non manu carnificis in Scotia Angliæ pro religione catholica moreretur: male secum actum affirmans, quod olim e carcere incolumis fuisset dimissus. Cum autem instaret hebdomada recolendis Christi cruciatibus consecrata, id saltem Deum rogavit, ut quo die Christus in cruce exirasset, eo incruentum vitæ suæ sacrificium exciperet; cujus pii voti compos est factus. Ipsa namque sanctioris hebdomadæ feria quinta, post suscepta rite morientium sacra, pacate admodum ac pie deceffit, annos natus septuaginta novem, quorum septem supra quinquaginta confecerat in Societate. Ad ejus cadaver ii facti fuerunt ex omni civitate concursus, ut inter strepitum ac tumultum affusa multitudinis ægre funus celebrari potuerit.

88.
RES TOLOSANÆ.
In hanc provin-
ciam transcribi-
tur collegium
Turnonense.

Per hæc collegium Turnonense jussu Præpositi Generalis ex provincia Lugdunensi transcribitur in Tolosanam. Mutium ut id decerneret movit paucitas domiciliorum, quibus provincia Tolosana constabat. Nullum hæc habebat nisi Tolosæ collegium studiorum: quodque habebat unicum, ea laborabat angustia vestigalium, ut ægre posset alere alumnorum numerum, quem usus provincie requirebat. Contra provincia Lugdunensis Turnonii, Lugduni, Avenione, & Dolæ seminaria nostra juventutis numerabat. Non ignorabat Mutius ægre luros Patres Lugdunenses, tam illustre domicilium a corpore suæ provincie divelli: sed divelli tamen jussit. Eoque gavifus est magis, cum cognovit negotium ex sententia fuisse confectum, acceptis tam obedienter mandatis, ut nemo contra vocem miserit. Simili consilio, ut suppleret inopiam provincie Aquitanæ, ad hanc transferendum decreverat a Parisiensi collegium Rhedonense. Sed ejus decreto intercessit civitas Rhedonensis, negans velle se aliunde quam ex provincia Franciæ ministros sacrorum, & liberorum magistrorum accipere. Causæ afferebantur in speciem graves, & justæ, sed quæ Mutio satis non faciebant. Dolebat sane, ea intercessione jus sibi regendæ Societatis imminui. Certis de-
inde

89.
Simile decre-
tum de Rhedo-
nensi, sed sine
successu.

inde iudiciis subodoratus, Rhedonenses ad illam causam suscipiendam a nonneminine fociorum fuisse compulsos, ne in facto pessimi apud nos exempli conivere videretur, P. Ignatio Armando Franciæ visitatori negotium dedit, ut si quos reperisset hujus culpæ affines, eos pro merito plecteret. De ipso autem collegio, nisi posset salvo Præpositi Generalis jure retineri, satius censebat dimitti prorsus, ac deserui. Et jam, negotio cum Assistentibus deliberato, socios inde revocari jusserat. Sed his consiliis intercessit Rex datis ad Mutium literis, quibus pergratum sibi fore significabat, si res collegii Rhedonensis in statu pristino relinquerentur.

Et nihilominus novum provinciæ Aquitanæ collegium enatum est. Tutela, urbs Lemovicensium primaria, Societatem expetierat ante annos amplius quadraginta, sed frustra. Voti ne potens fieret, obstiterant primo diuturnæ civilis belli calamitates, deinde aliæ causæ, quas nihil attinet recensere. Verum hoc anno Magistratus ex auctoritate consilii publici rem tandiu intermissam ita agendam suscepit, ut omnino perfecerit. Cum ergo ad civium voluntatem accederet consensus Regis; tum Episcopi, & omnium sacrorum ordinum approbatio, sine mora Tutelæ collegium apertum est. Nondum annus abierat, cum Raymundus de la Marthone Episcopus Lemovicensis, ratus ex collegio Tutelensi non leves in suam dioecesim utilitates provenire posse, ad augendam ejus dotem quoddam suæ ditionis sacerdotium contulit. Eodem alii consilio pecunias, & fundos collegio nascenti donaverunt. Sed eminuit ex omnibus Dominus Sanmarfalius, qui post collata in usum ædificii tria francorum millia, & centum annuum in præmia discipulis largienda constitutum, postremo moriens collegium bonorum suorum heredem testamento fecit. Inter hos rerum successus damnum est factum haud leve in duobus Patribus, ob virtutum rerumque gestarum magnitudinem memorandis, Guillelmo Baillio, & Joanne Bordesio, quos idem annus e numero viventium expunxit. Magnum erat tota Aquitania, & Occitania nomen Baillii. Laboribus apostolicis tantam sibi conciliaverat famam, ut quicumque salutem proximorum curarent paulo studiosius, ii passim appellarentur Bailliani. Contra errores Calvini primus aperto Marte certavit in Bearnia, postquam Henricus IV. in ea provincia liberum esse usum catholicæ religionis jussit: nec quemquam hæreticorum privatim oppugnasse dicitur, quem non etiam expugnaverit. Ex Santonibus, quos eadem hæresis ex magna parte corruerat, tam multos ad veritatem adduxit, ut nemo ibi laborasse fructuosius diceretur post S. Eutropium ejusdem gentis Apostolum. Anno MDCL, cum promulgandum suscepisset Jubilæum ad Apostolica Sede concessum, ex omnibus circum locis incredibiles ad eum concursus sunt facti. Ajunt, per festa paschalia usque ad centumviginti millia fuisse numeratos, qui ritu supplicantium advennerunt, ut beneficium indulgentiæ perciperent, eoque in numero ex ipsa etiam Rupella, Calvinianæ factionis arce præcipua, non ita paucos fuisse. Inoleverat in aliquibus ejus regionis oppidis prava consuetudo, ut ad altaris mysterium non admitteretur qui non annum ætatis vigesimum attigisset. Sacramentum Confirmationis plerique ut inutile negligebant, erantque bene multi ætatis provectæ viri nondum eo donati. Has ubique Baillius labe, partim privatis sermonibus, partim concionibus publicis omnino sustulit. In detegendis, dissolvendisque præstigiis demonum mira pollebat dexteritate, ac solertia. Multos e potestate diaboli, cui se pactionibus impiis mancipaverant, feliciter vindicavit. Baillium inexpiabili odio insectabantur ministri hæreseos, quos Prædicantes vocant, quippe assiduis ab eo cladibus attriti. Ejus autem congressum adeo reformidabant, ut in suo quodam celebri conventiculo legem tulerint, ne cui ex gregalibus liceret in posterum cum Jesuitis, & cum Baillio nominatim sermonem ferere de religione. Quod decretum servare cœperunt adeo exacte, ut coram uno aliquo ex nostris nec mutire auderent: silentium contumax, & ex metu profectum inter arcana suæ sectæ reponentes. Nunquam vir apostolicus ad concionem prodibat, nisi cilicio præcinctus: nec tam studio se ad dicendum

90.
RES PROVINCIAE
AQUITANÆ.
Fundatur collegium Tutelense.

91.
Mors & elogium P. Guillelmi Baillii.

com-

comparabat, quam precibus, & cruenta verberatione, quam cum inculceret sibi, hæc audiebatur inter plagarum crepitus ejus vox: *Da mihi domine Jesu animas, pro quibus sanguinem tuum pretiosum sudisti.* Vocem eandem iterabat quoties sanctissimam Eucharistiam manibus contrectaret. Natus erat loco nobili Monostrolii apud Velannos in diecesi Aniciensi. Obiit Burdigalæ vi. Cal. Novembres, anno ætatis sexagesimo tertio.

92.
Obitus & elo-
gium P. Joannis
Bordes.

Quæ porro urbs sepulchrum Baillio dedit, eadem ante annos sexaginta & unum natalis P. Joanni Bordesio fuerat. Hunc narrant ingenio fuisse plane admirabili, sic ut artes liberales calleret fere omnes. Rhetoricam Mediolani, philosophiam, ac theologiam in variis Galliæ academiis magna cum laude professus est. Multo tamen magis excelluit virtutibus religiosi, quarum nulla est, quæ non fuerit in eo summa. Cum censeretur ad gubernandum idoneus, & jam collegia duo administrasset, Aufcense, & Aginnenfe, sacris missionibus exerceri maluit in posterum: progressusque in solem & pulverem, vitis erroribusque late serpentibus bellum indixit, ea non solum fortitudine, verum etiam, felicitate, ut alicubi debellaverit. Oppidum erat inter Santones (Angeriaco nomen) foeda Calvinianorum colluvie inquinatissimum. Eo cum venisset Bordesius, labore industriaque perfecit, ut alia paulatim induceretur oppido facies, donec ex receptaculo errorum in pietatis veluti seminarium mutatum est. Excurrebat identidem in Bearniam, ignotus tamen, & alieno amictu, ne Jesuita congressum hæretici suo more fugerent. Quantum ibi molestiarum exanthlaverit, quam latus fruges in Ecclesiæ Romanæ horrea convexerit, vix ullis explicari verbis possit. Cum rusticis diversabatur ut plurimum, quippe simplicioribus, & docilioribus, iisque facile persuadebat, ut sibi de religione consentirent. Ut detectus olim, & cum insigni ignominia extra regionem deportatus fuerit, alibi a nobis narratum est. B. Virginis cultum propagare studebat omni ope; eoque consilio librum scripsit de ipsius æde Saranzienfi, quæ olim ingenti religione & concursu celebrari solita, tunc ob bellorum tumultus in squalore, ac pene in oblivione erat. De sodalitate quadam B. Virginis cum obloquerentur liberius Burdigalenses aliqui Senatores, eos Bordesius oratione acri ac vehementi ad silentium compulsi: ausus dicere, se ipsos accusaturum apud Deum, si ita loqui pergerent de ea re, quæ ad Deiparæ cultum spectaret. Decessit vir apostolicus in oppido S. Mariæ, prope Oleronem in Bearnia. Cum autem ad ducendum ejus funus, venerandumque, ut aiebant, sanctum magno numero oppidani confluxissent, lis est exorta inter cives, & Canonicos de cadavere efferendo: namque hoc utrique officium sibi deposcebant. Contentio aliter componi non potuit, quam diviso inter utrosque pio labore. Bordesio tribuuntur Canadica missionis initia, nec immerito. Ejus enim instituenda auctor, & hortator primus fuit Patri Cotono; utque feliciter inchoaretur, pecuniæ subsidium ab Episcopo Vasatensi impetravit.

93.
Pictavii Socie-
tas graviter per-
turbatur. Quæ
fuerit causa.

Ad mœrorem istiusmodi funerum accessit improvisa tempestas, quæ Pictavii exorta provinciam universam haud parum turbavit. Conciones ibi habebat majoris jejunii tempore vir ordine religiosus, multusque erat in hortando populo, ne rei divinæ alibi interessent, quam in templis suæ quisque parochiæ. Dum id urget studiosius, semel pro concione affirmare ausus est, reos anathematis fore quicumque non saltem tertia quaque hebdomada in ædem curialem convenissent ad rem divinam. Perculit populum pronuntiati novitas. Statim, ut ferme usuvenit, res omnium sermonibus agitari cœpta. Concionatoris sententiam laudare vehementer Parochi: Religiosi explodere. Laicorum quidam, ut sua quemque mentis affectio moverat, ad hos, aut ad illos applicari. Alii in neutram partem inclinati rei veritatem inquirere. Erat hæc ex æquo communis omnium religiosorum causa; eoque optimum fuerat, nostros nihil plus sibi negotii sumere, quam cæteros. Verum illi, nescio qua seu ratione, seu temeritate, præcipuas controversiæ partes sumserunt, ac præter reddita privatim responsa consulentibus, contra novam concionatoris sententiam scripta-

94.
Nostri minus
prudenter se ge-
runt in ea causa.

sparserunt. Pupugit ea res Antifitem Henricum Chastaigneurum, cujus impulsu plerisque persuasum erat concionatorem talia docuisse. Ad augendam Præfulis acerbitatem accessit, quod cum eadem sæpe disputatio in familiares sermones inferretur, nostrorum aliquibus, junioribus præsertim, & laicis, nonnulla exciderunt minus considerate dicta, quæ ille in sui contemptum interpretabatur. Progressus itaque ad concionem Pontifex doctus & eloquens, ita peroravit, ut ingentem contra homines Societatis concitaret invidiam. Tum ut offensionem suam testatiorem faceret, sacris virginibus sub poena anathematis interdixit, ne quem exinde nostrorum ad animæ regimen adhiberent. Sodalitium erat in collegio Pictaviensi jampridem pietate, & frequentia sodalium florens. Præful, causatus injussu suo fuisse institutum, solvi jussit. Pastore sic animato, ferocius exarsit contra Societatem populi pars multo maxima. Audita in urbe voces perditorum se invicem adhortantium ad seditionem: Irent in collegium cum facibus gladiisque: succenderent ædes civitati exitiales, Jesuitas omnes mactarent. In hoc rerum tumultu opportune Pictavium venit Senator curiæ Parisiensis, hanc unam ob causam missus a Rege, ut esset inter nos & Episcopum pacis, atque concordiae sequester. Talis autem auctoritate viri citius quam dici possit omnia sunt composita. Præful, certis propositis conditionibus, quas nostri sine cunctatione admiserunt, eos in gratiam recepit denuo, atque ita quidem ex animo, ut paulo post ex ipsis conditionibus ultro unam remiserit. Cum enim cautum fuisset, ne quis deinceps in illud quod dixi sodalitiū cooptaretur sine consensu ipsius, sentiens id Societati justas ob causas displicuisse, rem omnem Patrum arbitrio permisit.

Societatem Lusitanam turbabat eodem tempore filius ejus degener P. Emmanuel Viega, vir magni ille quidem ingenii, & litteris abunde instructus, sed æque inquietus ac turbulentus. Ut a suis initiis narratio repetatur, commiserat Viega cur illi professio votorum quatuor prorogaretur, quæ non levis poena, apud nos est. Post aliquot hujus coercitionis annos, cum nihilo melior fieret, eum Mutius dimoveri prius a theologiæ cathedra, quam in collegio Conimbricensi occupabat, mox etiam a Societate dimitti jusserat. Jussa ex parte tantum fecerat provincialis P. Antonius Mascarenia. Vir quippe natura factus ad lenitatem, meliora de illo sperans, exauctoraverat eum quidem docendi munere, sed tamen in Societate retinuerat. Viega post hæc Ulyssiponem translatus obrepsit paulatim in amicitiam Octavii Accoramboni, Pontificii, ut vocabant, Collectoris: questusque apud eum familiariter, se injuria privatam fuisse cathedra Conimbricensi, validiorem quam vellet opem reperit. Collector, vel nimis credulus, vel certe nimium amicitiae tribuens, hortatur hominem ut ad se appellet ex juris formula. Mox decreto facto, duo præcipit Provinciali. Primum, ne de Viega deinceps quidquam constituat. Alterum, ut intra præfinitam diem rationem reddat eorum, in quibus Viega factam sibi injuriam querebatur. Ad hæc Mascarenia: se quidem in eo negotio tantum obtemperasse Præposito Generali: quas vero ille rationes in præcipiendo spectasset, sibi nec esse cognitum, nec magnopere inquirendum. Responso Collector exacerbatus, Provinciali denunciat per litteras, ut intra spatium horarum viginti quatuor tradat judicibus a se delectis scripta, & acta omnia ad causam Viegæ pertinentia. Nisi fecerit, sciat sibi jam tum ab omni cum fidelibus communione esse interdictum. Sibi Mascarenia non defuit. Complexus brevi scripto rationes, ob quas negotium præfens nihil haberet controversiæ forensis, proindeque in unius Præpositi Generalis arbitrio positum esset, illud transmittit ad Collectorem. Simul rogat, ut inanem hominis appellationem rejiciat, nec Pontificius minister infringat apostolica privilegia, quibus Romani Pontifices disciplinam Societatis contra hujusmodi hominum contumaciam munissent. Id sperare se ex ejus æquitate. Caterum si pergeret decretum illud suum exequi, se ad Romanum Pontificem provocare: donec vero venissent ab Apostolica sede responsa, deliberatum sibi ac fixum esse de jure Societatis nihil remittere.

Se-

95.
Offensio Episcopi, & populari tumultus contra nostros.

96.
Omnia feliciter componuntur.

97.
RES LUSITANIÆ.
P. Emmanuel Viega turbas in Societate movet.

98.
Ejus patronum suscipit Collector Pontificius.

99.
Causa defertur
Romam, & Pra-
posito Generali
permittitur.

100.
Viega modera-
toribus se subji-
cit: tamen di-
mittitur e So-
cietate.

101.
Fundatur colle-
gium Scalabita-
num.

102.
Episcopus Vi-
fensis ad genus
sanctioris vitæ
trahitur.

Secundum hæc, relationem totius negotii Romam transmittit ad Mutium Pontificem hic statim certiorum facit. Pontifex dolere se professus, quod minister Apostolicæ sedis hominem inquietum contra legitimam potestatem tuendum suscepisset, Scipionem Burghesium Cardinalem sororis suæ filium scribere Collectori jubet, ut Viega causam omnino rejiciat ad Præpositum Generalem Societatis, nec vero ullam ejus partem posthac attingat. Burghesii litteras ad Mascareniam misit ipse Mutius, ut eas Collectori traderet, addiditque de suo mandata, ut Viegam continuo e Societate dimitteret. At cum hæc in Lusitaniam pervenere, valde rerum facies mutaverat. Viega, seu vere poenitens, seu poenitentiam simulans, relicta quam intentaverat appellatione, profitebatur se in Societatis potestate esse, ac porro fore. Quare Mascarenia, ut erat ipse candoris eximii, nullam in eo fraudem suspicans, dignum censebat, qui non solum retineretur, verum etiam ad professionem quatuor votorum aliquando tandem admitteretur. At Mutius, cui hominis ingenium varium ac subdolum, cum ex multorum relationibus, tum ex ante factorum serie probe perspectum esset, prioris propositi tenax, nequaquam acquievit Provincialis consilio, nec sibi verba dari passus est. Instat apud eum serio, ut decretum jam bis de Viega dimissione transmissum quamprimum exequeretur. Quo imperata faciente, abscissus demum est a corpore Societatis vir noxius: magno sane usui futurus, si quantos fecerat progressus in litteris, etiam in doctrina Christi fecisset. At nulla pestis publicæ sacrorum ordinum rei perniciosior magnis ingeniis, si scientiam natura audacem prudentia non continet, non coeret modestia.

Ut minus dolendum accideret unius capitis damnum, effecit quod eodem tempore acquisitum est collegium Scalabitanum. Scalabis (Santaremum vulgo Lusitani dicunt) oppidum est satis nobile, & frequens prope Tagum in Extremadura. Plures ante annos ad collegium ibi constituendum P. Eduardus Costa de paternis bonis prædium dotale contulerat: sed sine proventuum tenuitate, sive alia quacunque causa, ut multum cives Societatem vehementerque discernerent, collegium nunquam hæcenus potuerat, non dicam perfici, sed ne inchoari quidem. Nunc tamen eo missi cum fuissent aliqui Patres, summa omnium gratulatione excepti fuerunt, & domum ad habitandum facillime obtinuerunt. Angusta erat sane domus, sed propter propinquitatem templi opportuna. Quare in ea statim nostri latinæ duo gymnasia aperuerunt. Hæc fuerunt collegii initia, quæ deinde Joannes IV. Lusitanæ Rex ad perfectum statum deduxit. Intelligens enim parum commode habitare Patres in illa domo, palatium suum Scalabitanum Societati permisit. De rebus eodem anno gestis in Lusitania nihil amplius dicam, præter id quod de Joanne Manuele Episcopo Vifensi litteræ tradunt. Præsul, non quidem malus, sed in luxum paulo solutior, & in faciendo sumptu, omnique domestico apparatu, magis loci quo erat natus, quam ordinis in quem transferat memor, cum ad excolendam urbem sibi creditam accivisset P. Didacum Monteirum, ejus alloquio, & consuetudine vix credibile quantum mutaverit. Exinde despiciere humana omnia, & austerioris vitæ exemplo præire populo coepit: in cultu corporis modestus, cibi somnique parcus, profusus erga pauperes, pietati ac meris religionibus deditus. Idem post paulo deliberatum habebat, si a Pontifice maximo potestas fieret, in Societatis septa transire: de qua re existat etiam nunc ejus ad Mutium epistola sacrum ardorem spirans. Sed vetuit Pontifex, e re divina futurum ratus, virum talem in Ecclesiæ luce versari. Caterum quam vivendi formam sibi a primo sanctioris vitæ die proposuit, eandem magno reipublicæ bono servavit usque ad extremum. Factus Archiepiscopus Ulyssiponenfis, mox etiam regni totius administrator, nihil unquam remisit de exacta illa vitæ perfectione, quam Monteiro auctore instituerat. Societatem vero, cui suam, ut ipse agebat, conversionem secundum Deum referebat acceptam, quamdiu vixit, amare, ac fovere perrexit. Sed ex Europa in Asiam transmittamus.

Goæ cum sæva grassaretur pestilentia, nostrorum ingens numerus ægrorum ministerio se devoverunt: quatuor contagione ejusdem mali consumpti sunt. Fuerunt hi Franciscus de Acunia, Hieronymus Cotta, Ludovicus Remigius, & Emmanuel Pæz; Sacerdotes omnes inter paucos eximii, & ipso mortis genere digni quorum memoriam posteritas alat, & virtutem suspiciat. Ibidem producendus erat ad supplicium Regulus Jafanapatani, qui cum esset Lusitanorum in India beneficiarius, bello captus, perfidiæque convictus fuerat: quodque omnes mœrebant vehementer, ruebat miser in æternum interitum, quippe avitæ superstitionis tenax. Frustra illum multi admonebant, ut eo saltem loci respiceret sese, & baptismum suscipere, Monita æque ac monitores ferociter repellebat. Tamen ingressus ad eum unus nostrorum, monendo hortandoque tantum Deo bene adjuvante valuit, ut ille demum præter omnium spem a contumacia discesserit. Christi cultum libens amplexus, sacro ablutus est fonte; atque hinc integro baptismi candore ad patibulum raptus, ad superos cita morte evolavit. Mercedem eandem effuso pro Christo sanguine consecutus creditur in Africa P. Franciscus Ribera. Illum certe Mahometani necarunt, nec alia quæ afferri possit causa, quam Christiani nominis odio. Ex collegio Mozambiceno venerat in eam Castrariæ partem, cui nomen est a Fluentis, prope promontorium Bonæ spei. Ibi regulum nactus, ut inter barbaros, satis humanum, & christianæ religioni non adversum, potestatem amplam docendi palam, promulgandique Evangelii impetraverat. Erectus itaque in spem messis egregiæ, sementem impigre faciebat. Cum Maurici negotiatores, quorum est ingens in ea terra numerus, ad rem disturbandam aggrediuntur, tentatisque frustra aliis artibus, ad extremum in caput innocentis conjurant. Captant tempus, quo eum sacris operari in suo tugurio norant: impetum faciunt: Sacerdotem ante ipsam aram lanceis transfigunt. Quo potissimum mense ac die Ribera necatus fuerit, incertum. Præter ejus cadem, nihil magnopere memorandum hoc anno contigit apud Castros. Nec fere melius gesta res apud Mogoles. Uterque sane ager, ut laborum & ærumnarum valde fertilis, ita optatæ frugis erat admodum infœcundus; licet non iisdem de causis. Castris mira ingenii tarditas obstabat, ne veritatem agnoscerent. Mogoles contra, suarum disciplinarum fiducia elati, doctrinam fidei superbe fastidiebant. Utrosque commune malum licentia, & fœditas morum a divina legis sanctitate avertebat. Sæpe deliberaverant Patres de deserendis tam indomita contumaciæ novalibus, collocaturi scilicet operam apud alias gentes utilius. Sed obstitit semper Mutius. Quippe Christianos, quantumvis paucos, in illa barbarie commorantes, nefas putabat præsidis æternæ vitæ destituere: nec desperandum arbitrabatur fructum laboris, si laborare pergerent operarii.

Et vero in regno Mogolico spem rerum meliorum ostendebat nobilis Armenus, Mizre Zulcharnen nomine, professione catholicus. Is a rege in intimum gratiæ locum receptus, ac Sambalensî provinciæ administrator impositus, opes fere omnes, quas habebat amplissimas, ad augendum Dei cultum liberaliter erogabat. Secum duxerat in provinciam, habebatque apud se P. Josephum Castrium conscientiæ arbitrum, ac moderatorem consiliorum suorum. Ejus vero ductu per omnia pietatis officia, per totidem veluti gradus, eo provehebatur virtutis, unde nulla deinde mole ærumnarum dejici potuit. Id maxime patuit anno post hunc decimo, cum fortunis omnibus odio christianæ religionis exutus, ex summis opibus ad inopiam ultimam deductus est. Tantam rerum vicem pertulit, non dicam tranquilla, sed plane hilari mente, erectaque; gaudens quod talia pro Christo pateretur. Hoc interea anno Mizre, deliberatum habens rei suæ non parcere, dum Christi cultum amplificaret, consilium iniit fundandi collegium Societatis Agræ in urbe regia magni Mogoris. Res erat propter conditionem regionis admodum ardua: sed hominem ingentis animi non deterruit. In parandis collegio vectigalibus difficultas præcipua vertebat. Namque ita fert usus Mogolum, ut exceptis ædificiis, nihil bonorum quæ solo

T. I.

K k

con-

103.
RES PROVINCIAE
GOANÆ.

Nostrorum
aliqui in officio
charitatis mo-
riuntur Goæ.

104.
Conversio cu-
jusdam ethnici
paulo ante sup-
plicium.

105.
P. Franciscus
Ribera a Mau-
ris interficitur
in Castraria.

106.
Labores Socio-
rum apud Cas-
tros, & Mogoles
parum fructuosi, & qua-
re.

107.
Insignis pietas
cujusdam Ar-
meni in regno
Mogolico.

108.
Ejus sumptu
fundatur Agræ
collegium So-
cietatis.

continentur cujuscumque privati proprium sit. Quidquid singuli possident, utendum acceperunt beneficio Principis, ad quem postquam obierint redit. Huic incommodo ut occurreret Mizre, Castrum misit cum grandi pecunia Goam, & pro Agrensis collegii censu fundos emere in territorio Lusitanorum iussit. Quod si contingeret aliquando pelli ex imperio Mogolico Societatem, nullaque spes eodem amplius revertendi esset, tunc Præpositi Generalis arbitrio permisit, ut de iisdem redditibus statueret uti magis ex Dei obsequio judicaret. Rata hæc habuit Mutii nomine P. Andreas Palmerius visitator Indiarum; emptisque duobus in insula Bandoræ latifundiis, Agræ collegium constituit.

109.
ACTA
IN ÆTHIOPIA.
Monachi contra
religionem ca-
tholicam tumul-
tuantur.

In Æthiopia latiore habebat Romana fides successum, quam ut taciti ferrent Monachi, quorum ibi factio præpotens, & semper adversa. Videbant majorem in dies fieri circa se solitudinem: imminui auctoritatem suam, perire quæstum dolebant. His de rebus magis, quam de Dioscori doctrina solliciti, concurrunt turmatim in regia castra, quæ ob recentem de Galis victoriam lætitia publica perstrepebant. Pertentant milites: Imperatorem seditiosis vocibus criminantur, quod paternas religiones dilabi sineret. Ut visa commoveri multitudo, ipsum adeunt Imperatorem, jubentque verius quam rogant, ne connivere in summo reipublicæ malo pergat, sed externos Sacerdotes errore dissimulantes pro potestate cohibeat: nisi fecerit, visuros se quid factu opus sit. Eadem minaciter denuntiabant aliqui procerum, qui monachis se adjunxerant; apparebatque omnino parari ab istis vim, nisi audirentur. Tamen intrepidus Princeps iniqua petentibus resistebat. Ecce autem, gliscente ferocia militum, & tumultu, circumstant illum aulici metu consternati, & quo res sint loco docent. Comprimentam seditionem inquirunt, ante quam in apertum prorumpat;

110.
Edictum extor-
quent ab Impe-
ratore contra
Patres Societa-
tis.

dandum aliquid insaniam multitudinis, ne omnia per vim trahat. Triduum restitit Imperator magno ac forti animo. At demum tempori serviens, passus est edici suo nomine, ne Patres Societatis in posterum sacra popularibus ministrarent. Instabant schismatici, ut duo adderet edicto capita: alterum, ne liceret Patribus doctrinam suam Æthiopicis tradere: alterum, ut constituerentur delecti iudices, apud quos causam dicerent quicumque hæcenus fidem Alexandrinam Romana commutassent. Cum non impetrarent, illud saltem vociferando flagitabant, ut siquidem ipse ministerium sacrorum Patribus abrogasset, juberetur Cela-Christus idem edictum proponere in regno Gojamenis. Tergiversante ad hæc Principe, & responsum ampliante, ecce tibi a Cela-Christo tabellarius cum litteris ad Imperatorem. Hunc leniter objurgabat frater, quod in causa religionis de firmitate sua pristina remississet: se certe nunquam passurum denunciari suis provincialibus edictum illud impium, & religioni vere injuriosum: citius se, & suos ad unum omnes in castra venturos, instar ovium mactandos. Litteras cum legisset Seltanus, sua manu rescripsit fratri, mirati se vehementer, hominem arcanorum suorum omnium conscientiam non intelligere, edictum illud non suum fuisse, sed temporis. Bono sit animo, & cum exercitu Gojamenis quamprimum accedat ad regiam; tollendum esse edictum simul ac vires conjunxerint. His cognitis rebus, nullam interposuit moram Cela-Christus, ne cum ingentibus copiis ad regiam properaret. Ejus porro adventu mirum, ut compressa fuerit hæreticorum audacia. Imperator viribus simul & animo auctus, continuo Patribus liberam ut ante esse facultatem jubet sacra populo impertiendi. Neque id satis. Retinebant Æthiopum plerique superstitiosum, ac sæpe antea proscriptum sabbati cultum. Ad eum penitus abolendum Imperator grave edictum, frustra monachis reclamantibus, tulit: certas multas, quibus plectendi essent a provinciarum præfectis contumaces, constituit. Et siquidem norat, jacere leges ubi violentur impune, paulo post præfecturam privavit ducum suorum præstantissimam, propterea quod ejus edicti custos negligentior fuisset.

111.
Cela-Christus
Imperatorem
objurgat.

112.
Imperator edi-
ctum abrogat,
& hæreticorum
audaciam reprimi-
t.

Edictum de cultu sabbati occasionem suam putavit Begamedri Prorex Joannellus, vir ille quidem bello egregius, sed audax aequæ, & rerum novarum cupidus.

Cum

Cum ergo monachi passim accusarent Imperatorem, quod contra quam esset divino jure institutum, sabbatum violari præciperet, Joannellus fore se vindicem avitæ fidei profiteretur: nactusque consilii sui socios & fautores non paucos, quos pietatis larva deceperat, arma capit, juga montium aditu difficillima occupat, inde Galas finitimos in belli societatem vocat. Erat apud Imperatorem P. Pæzius, cum hæc illi nunciata sunt. Principem ut animaret Sacerdos, meminisse jubet, ex quo veræ fidei patrocinium suscepisset, nullum extitisse hostem, quem non feliciter superasset. Disce hinc, subjecit, suam causam tuentibus adesse Deum. Nec vero dubites cum Joannello signa conferre. Dabit improbus perinde ac cæteri temeritatis pœnas. Facile vinces, quem suum urget scelus, quem irati superi in interitum pertrahunt. His dictis supra modum erectus Imperator, primo inquirendum statuit in aulicos, quorum erat fides suspecta. Cum invenisset plurimos Proregi Begamedrensi clam consentientes, nocentiores capite multavit. Tum hortatus milites, ut forti alacrique animo sint, & rem strenue gerant, adversus Proregem movet exercitum. Vix primos duces, & copiarum partem præmiserat, cum afferuntur a Prorege litteræ pacem, & deditionem offerentes. At superbus ita profitebatur se in potestate Principis fore, dummodo ne sibi adimeretur præfectura Begamedrensis, & Patres Societatis tota pellerentur Æthiopia. Risit Princeps vecordiam temeritatemque hominis, ac ne reddito quidem responso, cum omnibus imperii viribus profectus est. Ut ventum ad radices montium, quos hostis infederat, nutare perduellium plerique: non ordines, non ducis imperata servare. Demum, seu desperatione partium, seu insita genti mobilitate, transitionem fecerunt. Joannellus cum paucis ejecit sese in Galarum fines, ubi eodem anno a suis comitibus interficitur. Sic auctoris exitio conquievit tumultus, quem religionis obtentu concitaverat cupido regni impotens, & infana. Res autem catholica, multum inde emolumenti cepit. Præterquam quod eo bello plurimum accisæ fuerunt hostium vires, in regnum Begamedri missus est cum imperio gener Imperatoris Sara-Christus, vir eximie catholicus, & partium catholicarum fautor egregius, qui veritatem in sua provincia publice tuendam suscepit.

Prius quam hæc agerentur, apud Agaos hostis humani generis crescentem Christi gregem opprimere conatus erat, sed exitu parum prospero. Strenue agebat inter Agaos P. Franciscus Antonius de Angelis: cumque socium laboris haberet P. Ludovicum Azevedum, plura jam hominum millia per baptismum regeneraverat. Ecce autem gens accola Galæ, ingenti agmine comparato, irrumpunt Agaorum fines, armati discurrunt, omnia cædibus ac rapinis vastant. His rebus cognitis, accurrit sine mora Cela-Christus cum paucis, quas ad manus habebat, cohortibus, & ad Ancaxam oppidum castra ponit. Prius vero quam quidquam aggrediretur, accessito Patre de Angelis, edicit militibus, ut ejus ministerio conscientia maculas expient. Prior ipse exemplum præbet. Hinc suos in prælium educit. Degebant in hostico Galæ securitate tanta, ut majore non possent in suo. Eos itaque Cela-Christus inermes & imparatos repente invadens, omnes in fugam agit, suorum nemine desiderato, præter gregarios milites duos. Postridie Galæ, totis collectis viribus, in aciem procurrunnt denovo, & prælium Cela-Christo denunciant. Veniebant quadrato agmine contra regios numero longe impares. Cela-Christus consilio usus continuit suos, quoad hostes ex editiore loco in subjectam planitiem descendissent, atque interim multa prece se muniit. Tum vero atrox conferitur pugna. Galæ cum diu sustinuisent veterani militis impetum, ad extremum turbatis ordinibus fugæ se mandant. Insequitur Cela-Christus cum victricibus copiis, urget a tergo fugientes, magnam occidionem facit. Ita demum Galæ, casis pluribus, pluribus captis, omnes cum insigai clade profligati fuerunt. Successu tam prospero dici vix potest, quanto Agai studio christianæ religionis exarserint. Nullus exinde inter eos fuit populus, qui non unum aliquem nostrorum exposceret.angebatur proinde Pater de Angelis, ut ipse ad amicum scripsit, duos tantummodo

T. I.

K k 2

esse

114.
Imperator contra proregem movet exercitum.

115.
Perduelles illi se dedunt, & religio respirat.

116.
Galæ Agais infesti impetuntur a Cela-Christo.

117.
Mox cum insigai clade profligantur.

esse operarios, ubi vix quinquaginta fuissent rerum gerendarum magnitudini pares.

118.
Adventus Patrum Didaci de Mattos, & Antonii Bruni.

Quo latior per hos dies accidit adventus Patrum Didaci de Mattos, & Antonii Bruni, qui defudantibus in Æthiopica vinea sociis auxilio veniebant. Auxit lætitiã, quod profecti Goa transierant per Turcarum terras commodissimo itinere, primique aperuerant hominibus Societatis viam venientibus ab India expeditissimam, cujus antea omnes aditus Turcæ tenebant obstructos. Debuerunt hoc quoque beneficium Patres Imperatori Æthiopiæ. Nam cum ante biennium legationem accepisset a prætoris Suaqueni (insula hæc est Erytræi maris præfecto Turcico parens), post habitum ad plures menses legatum quam potuit splendide ac liberaliter, dederat ad prætorem eundem litteras officii plenas, unam duntaxat rem pro amicitia rogans, ut si qui venirent ex India Patres Societatis, eos in Æthiopiã tuto deducendos curaret. Quod Æthiopsis officium barbarus tanti fecerat, ut mitteret continuo Dium (urbem maritimam Lusitanorum in sinu Cambajæ) famulos, cum diplomate liberi commeatu pro Patribus Societatis, qui migrare in Æthiopiã vellent. De hoc ergo diplomate cum audissent Goæ duo quos dixi Patres, Mattos, & Brunus, Dium lati petierunt, nactique in Dienfi portu navim in anchoris stantem, & propediem vela facturam, ea consensu Suaquenum appulerunt. Hic vero videre licuit, quam sancta etiam apud barbaros publica fides sit. Sacerdotes Societatis a prætoris Turcico ita fuerunt suscepti cultique, ut neque benignius, neque liberalius possent a magistratu Christiano. Transmissuri Mazuam, insulam Abissino littori ferme junctam, litteras ab eodem acceperunt commendatitias ad præfectum insulæ cum mandatis, ut hospites cum honore exciperet, ut eos in continentem tuto trajiceret, ut usque ad fines Æthiopiæ ditionis militari custodia, & copia jumentorum instrueret. Quo imperata faciente, Mazua discesserunt navigio Patres, expositique in proximum littus, iter tutum, ultro deducuntibus Turcis, peregerunt, donec Æthiopiæ saltus ingressi sunt. Quod vero reliquum viæ fuit usque Fremonam, jumentis ab aula missis confecerunt.

119.
Ut adjuti fuerint in itinere a Turcis.

120.
RES MALABARICÆ.
Restituntur collegio Columbenfi sua bona.

121.
Episcopus Coccinensis minus æquum Societati se præbet in Ceylano.

122.
Eum P. Rubinus demereri studet, nec sufficit.

Res interim provinciæ Malabaricæ, pro locorum varietate, alios atque alios prospectus habebant. In Ceylano haud ita pridem Prorex Indiarum Franciscus Cotinius Rodondi Comes, causatus regium nescio quod decretum, quo religiosi possidere prædia vetabantur, negotium dederat Episcopo Coccinensi ut collegium Columbense spoliaret bonis, quæ beneficio prætoris Hieronymi de Azevedo a longo tempore possidebat. Fecerat autem Episcopus adeo inclementer, ut Patribus ex re satis commoda ad extremum inopiæ deductis necessario cedendum esset insula, nisi colonorum benignitas subvenisset. At non perpetuum, neque diuturnum fuit incommodum. Rodondo e vivis sublato successit Ferdinandus Albuquerque. Is vero sui decessoris decretum abrogans, Columbense collegium in possessionem omnium, quæ ante habuerat, hoc anno restituit. Dempto in hunc modum inopiæ incommodo, aliud restabat fortasse gravius a voluntate Antistitis Coccinensis, qui opera Societatis negabat utendum esse in Ceylano, nostrisque hominibus se minus æquum præbebat. Alibi narratum a nobis est, in divisione insulæ olim inter nos, & Patres Franciscanos facta, obtigisse nobis partem septentrioni obversam. Ille divisionem a decessore suo factam, ac longo usu firmatam, ratam non habebat. Itaque cum regnum Jafanapatani nuper ditioni Lusitanorum fuisset adjectum, regionem istam Episcopus, licet haud dubie sitam in parte insulæ boreali, repulsis per injuriam nostris, aliorum ordinum religiosis excolendam tradiderat. Duas præterea Cingularum ecclesias, quas Patres intra descriptos sibi fines extruxerant, ad alios transtulerat. Nihil intentatum relinquebat P. Antonius Rubinus Columbenfis collegii rector, ut Præsulem palam aversum deliniret. Absentis nomen ipsum venerari solitus, nunc præsentem cum videret in Ceylano, quo ad lustrandam diocesim venerat, tot illum colere officiis studebat, ut neque pluribus, neque verioribus possset, si ab eo beneficia plurima & amplissima accepisset. Nec vero re-

religiosum consilium successu caruit. Captus obsequio Præsul, & nostrorum neophytorum egregia institutione delectatus, vel mutavit mentem, vel mutare certe visus. Quod ad rem attinet, pro regno Jafanapatani operarios poposcit a Societate, acceptosque misit cum ampla utriusque fori potestate in eam terram, ubi nec tantam in erudiendis incolis assiduitatem, nec tantum in rebus agendis ordinem deprehenderat. Ut materiam operis, ita stimulos ad agendum addidit Patribus Episcopi novus favor. Aggressi statim traditum sibi agrum excolere, perfecere labore & industria, ne frustra ad tale opus adhibiti viderentur. Anno uno adultorum bis centum fere & quinquaginta capita baptismo initiaverunt. Multo plures in album catechumenorum, proxime initiandos transtulerunt. Arx erat millia passuum circiter triginta sex a Columbo, ad coercendas barbarorum irruptiones a Lusitanis extructa. Huc cum venisset P. Petrus Mexia, fidem pene superat quæ ejus concionibus morum commutatio fuerit facta. Profitebantur palam præsidarii, & circumpositi incolæ, nunc demum se esse Christianos, antea nudum nomen Christianorum habuisse. Agebant proinde cum Episcopo, & Patre Rubino, ut poneretur ibi stabile Societatis domicilium: id quod suo tempore perfectum est. Hæc in Ceylano.

At in ora Piscariæ, & in regno Travancoris multo graviora contigerunt. Episcopus Coccinensis, quocunque demum esset animo, restituere cogitur Societatem in possessionem curiarum, quibus ante annos undecim fuerat per vim spoliata. Negotium momenti gravioris, nec nisi post longas disceptationes confectum, nos ab origine exequemur. Magnæ illius peninsula, quæ intra Indum & Gangem hæret continenti, & in oceanum nongenta fere millia passuum excurrit, extrema pars est promontorium Comorini. Adjacent huic ab occidente regnum Travancoris, ab oriente ora Piscariæ, & parva Manaris insula, angusto freto divulsa. Primam Evangelii lucem intulerat his regionibus magnus Xaverius: cujus deinde cœpta feliciter profecuti Patres Societatis, gregem neophytorum ad plura centena millia perduxerant. Hinc Reges Lusitaniæ Joannes III., & Sebastianus, jure regii ut dicitur patronatus, parœcias omnes earum gentium administrandas tradiderant Societati; & quidem sic, ut esset penes Parochos, præter curiale jus, illa quoque pars forensis jurisdictionis, quam solent Episcopi vicariis, quos Foraneos vocant, impertiri. Nunquam porro per annos ferme sexaginta quæsitum fuerat, cujus primum auctoritate facta fuisset utriusque jurisdictionis conjunctio, nec dubitaverat quisquam, quin facta per legitimam auctoritatem fuisset. Nostri vero toto hoc tempore parœcias ita administraverant, ut eorum sedulitatem, laborem, ac diligentiam summe laudarent Episcopi Coccinenses, quorum ad diœcesim totus ille tractus regionis pertinet. Eadem animi inductione fuerat aliquandiu erga nostros Antistes ultimus. At repente, nescio qua causâ, ex amico in adversarium mutatus, ad exturbandos inde Patres aggressus est. Hæc autem rimanti se dedit occasio. Parava (ita Piscarienses nominantur), excepto quod finitimo Regulo annum vestigial penderent, liberi, suisque viventes legibus, habebant in oppido Tutucurino quasi caput rerum, & christianæ religionis munitissimam arcem, collegium Societatis, ex quo pendebant Parochi per totam Piscariæ oram late dispersi. Accidit ut Tutucurinum ingrederetur cum infesto milite Regulus, oppidanos crudeliter dispoliaret, multas genti miseræ inferret injurias, plures gravioresque in posterum minaretur. Tutucurinenses, ut se deinceps ab hujusmodi direptionibus defenderent coacti solum vertere, facile impetraverunt ab Indiarum Prorege Ayre de Suldania angusti ambitus insulam e regione Tutucurini, quæ antea vix nota, deinde Regum insula dici cœpit. Huc pars oppidanorum multo maxima, hominum fere decem millia, demigraverunt: novum oppidum condiderunt: mœnibus, propugnaculis, muralibus tormentis contra terrestres æque, ac maritimos hostium incursum se munierunt. Fuere nihilominus pauci, capita haud amplius centum, qui relinquere antiquas sedes noluerunt. His proprium dare Sacerdotem visum non est. Ut brevissimus erat ex insula Regum trajectus Tutu-

123.
Sociorum labores, & res gestas in Ceylano.

124.
De parœciis olim Societati attributis in ora Piscariæ, & regno Travancoris.

125.
Tutucurinenses in insulam Regum una cum nostris demigrant.

eurinum, excurrerant ad eos identidem nostri, qui pariter collegium transtulerant, curabantque ut nulla re ad salutem necessaria indigerent.

126.
Occasionem inde sumit Episcopus exturbandi e parocciis Societatem.

Hæc ab annis jam fere quatuor ita se habebant. Cum ecce tibi ex improvviso Patribus denunciatur Episcopus, religioni sibi esse, Tutucurinenfes carere, tandiu proprio pastore. Id se diutius ferre nec posse, nec velle. Curarent proinde ipsi ut Paravæ, relicta regum insula, in antiquam sedem remigrarent, aut certe se curaturum. Hoc atrocis insectationis initium, & prima quasi denunciatio belli fuit. Nam cum minime adduci possent Paravæ, ut denuo Tutucurinum domicilia transferrent, misit primo Episcopus virum ordine religiosum cum nomine & potestate vicarii, qui populo jus diceret in insula regum. Tum caufatus, vicarium suum non ut par fuerat acceptum ab oppidanis fuisse, edictum promulgavit, quo vetabat sub poena anathematis, ne quis quidpiam utilium in insulam regum importaret; si quæ vero inde naves ad oram Piscariæ appulissent, eas cum suis oneribus capi, & publicari jubebat: quæ res per aliquot menses, ut in civili bello, multis utrinque atrocibus, & caedibus ansam præbuit. Postremo litem intentavit Patribus de forensi jurisdictione, petiitque a Goano Archiepiscopo tunc proregis vices gerente, sibi ut liceret eam quibus visum esset committere. Rescripserat ex ejus voto Archiepiscopus. Sed rescripto intercedens Præpositus provinciæ Malabaricæ P. Albertus Laertius, & regionum Goæ judicum fidem implorans, decretum impetravit ex formula *uti possidetis*. Eo decreto satis consultum videbatur, ne quis novi quidquam inciperet injussu Regis. Verumtamen Episcopus, seu non ferens judiciorum moras, seu ratus per ejusmodi ambages sibi jura episcopatus imminui, aliam, & sane breviorē inire viam statuit: quodque nemini de Episcopo, & quidem antea religioso venisset in mentem opinari, jus suum, non exequi legibus, sed armis vindicare decrevit. Simulato igitur dioceseos lustrandæ consilio, rumorem spargit, se brevi ad oram Piscariæ profecturum. Interim naves & arma parat, conducit milites, undique peritos belli duces arcessit. Hæc cum palam fierent, haud temere metuebant Patres, quo demum evaderet apparatus itineris minime sacerdotalis. Prudenter existimantes, honestius sibi fore curias ultro deponere, quam sua causa bellum a Paravis cum Episcopo geri, etsi nullum hac super re mandatum habuissent a Provinciali, Proregi Archiepiscopo offerri libellum curaverunt, quo ecclesiarum curam, siquidem regiminis formam Episcopus immutare vellet, sponte abdicabant. Abdicationem Archiepiscopus non admisit. Scire se, dixit, quanti interesset, cum ad Dei cultum augendum, tum etiam ad populos in regis fide continendos, curiarum administrationem penes Societatem manere. Pergerent proinde Patres acceptam a rege procurationem, ut fecerant hætenus, sustinere diligenter. Curæ sibi fore ut quamprimum Rex super forensi jurisdictione, quod erat controversiæ caput unicum, sententiam diceret. Hoc accepto responso socii quieverunt. At Provincialis Laertius, auditis quæ de apparatu bellico nunciabantur, litteras ad rectorem Piscariensem dedit hujus sententiæ. Rumorem increbuisse, paratam esse ab Episcopo Coccinensi classem: eundem militari copia succinctum adventurum quammo in oram Piscariæ, ut Societatem ejiciat curiis, cogatque Paravas, deserta regum insula, remigrare Tutucurinum. Rem enimvero videri incredibilem. Utcunque tamen sit, nostri nullo modo vim vi repellant. Paravis se nihil præscribere. Viderint ipsi quid sua intersit. At si illi arma ceperint, caveant socii etiam atque etiam, ne quam hujus consilii partem attingant.

127.
Jus expertus frustra, ad arma se convertit.

128.
Nostorum consilia ad vim arceendam irrita.

129.
Episcopus armata manu nostros pellit ex tota ora Piscariæ.

Cum essent in hoc statu res, Coccino solvit Episcopus cum tribus navibus milite, & omni bellico instrumento instructis. Utque insigni aliquo facinore expeditionis initia illustraret, primo ad regum insulam vela fecit, ab ejus arcis expugnatione bellum inchoaturus. Et jam, adjunctis sibi aliis minoris alvei navibus septem, insulam obsidere cœperat. Verum ut sensit infringi solido dentibus: Paravas nempe ad se tuendos accurrere, obvertere arma, rem magno animo gerere, nec facile ad deditioem cogi posse; post mutuas hinc inde cades,

ob-

obsidionem solvit re infecta, seque cum tota classe convertit ad immunitos ora pagos, ubi Patres Societatis opprimeret resistente nemine. Quæ ibi pataverit, quam immania, quam non solum dictu, verum etiam auditu indigna, nec paucis exequi possim, nec multis ob rerum atrocitatem velim. Ut odiosissimam narrationem quam brevissime peragam, quocumque ille venit, nostris convasandum fuit. Utque nullus erat locus, quo non venturus eodem animo putaretur, Patres, ut in re penitus desperata, cedendum tempori existimantes, reliquas quas adhuc retinebant curias, tum in ora Piscariæ, tum in regno Travancoris, ultro dimiserunt. Ita demum ecclesias amplius octoginta, cum tot neophytorum latissima sobole, quorum ne unus quidem erat, qui non fidei institutionem a nostris & baptismum habuisset, uno tempore, unus belli turbo ademit Societati: magno quidem dolore nostrorum, sed pari neophytorum luctu, qui Patribus abeuntibus, tanquam si divellerentur a complexu parentum optimorum, orbitatem suam non minus multis quam veris lacrymis deplorabant. Scio non defuturos, quibus mirum, & vix credibile videatur, potuisse hæc palam ac libere ab Episcopo peragi: quasi nulli essent in India regii magistratus, quorum auctoritate reprimi ejus conata, ac cohiberi possent. Sed qui longius aberant Goæ, etsi in tempore moniti, non ante crediderunt talia posse fieri, quam nunciatum est esse facta. Qui vero propius rempublicam administrabant Coccini, aut in insula Manarensi, eos Episcopus ita sibi conciliaverat, ut tamen aperte non probarent ejus incepta, re tamen ipsa non cohiberent, quin secundarent potius, & clam promoverent. Certe insulam regum, quam postremo loco Episcopus totis collectis viribus invasit, nunquam subactus putabatur, nisi cum eo præfectus Manarensis naves & arma conjunxisset, dedissetque oppidanis fidem, recipiendam eorum deditioem, non Episcopi, sed Regis nomine. Qua fraude decepti incolæ cum posuissent arma, Tutucurinum remigrare coacti sunt: collegium autem cum cæteris ædificiis a victore dirutum, & incendio consumptum est.

Parum tamen erat Antistiti diripuisse armis qualescunque nostrorum res, nisi graviore belli genere in eorum quoque famam litteris grassaretur. Humanæ superbiæ vitium id est, persequi semel laesum, & injuriam augere ne injuste feceris. Sane Præsul, ut parum honeste factis speciem aliquam juris imponeret, qua apud Regem Hispaniarum purgaret sese, & ora obloquentium obstrueret, sparsit tota India, & in Europam usque transmisit libellum Societati maxime contumeliosum, in quo sexcenta, & atrocissima congesta erant crimina contra Patres parocis administrandis adhibitos: sic ut suo merito pulli viderentur. Verum qui armis, ut par fuit, modeste cesserant Patres, calumnias intrepide repulerunt: suæ vero innocentiae testes, tum ex Lusitanis, tum ex indigenis optimos quosque, & spectatissimos viros habuerunt. Præter alios, Episcopus urbis S. Thomæ ex familia S. Augustini hæc ad Hierarcham Goanum scribebat. Vidisse se loca omnia in quibus fuissent Patres Societatis, & miratum esse vehementer, cum optimam neophytorum institutionem, tum victus asperitatem, qua Patres ubique uterentur. Degentes in ora Piscariæ perquam acerba infestatione fuisse exercitos ab Episcopo Coccinensi, qui adjunctis sibi hominibus facinorosis, insulam regum obsidione cinxisset, multarumque indignitatum & cædium auctor fuisset. Nisi Patres Societatis sua sponte cessissent, gravissimas calamitates fuisse secuturas. Eos vero, quantumvis obsessos vexatosque, nunquam permisisse Christianis, ut adversus Episcopum arma sumerent: qui si pugnasent, forte nec Episcopum, nec ex tota ejus classe quemquam fuisse superfuturum. Hæc ille. Ubi quod negat Paravis fuisse permissum a Patribus, ut contra Episcopum arma sumerent, eo utique spectat, quod repressi sunt, ne ad aggrediendam ejus classem exirent. Nam ne suas tuerentur armata manu fortunas, nec prohiberi poterant, nec vero a Patribus fuerunt prohibiti. Præter illum, inventi Lusitani genere, fama, & rerum peritia clarissimi, qui litteris ultro missis ad Regem diserte affirmabant, nisi ecclesiarum administratio red-

130.
Patres ex regno Travancoris sponte abscedunt.

131.
Qua fiducia Episcopus talia ausus fuerit.

132.
Occupat regum insulam, & collegium Societatis incendit.

133.
Calumnias spargit contra Societatem.

134.
Multi testimonium innocentiae præbent Patribus.

deretur Societati, religionem in tota illa plaga funditus interituram: periculum etiam esse, ne gentes ingenio instabiles, & saepe a Batavis, saepe a finitimis regulis ad rebellandum sollicitata, discederent ab obsequio regis.

135.
Regis decretum de restituendis Societati parochiis.

136.
P. Pimenta conatur negotium amice componere, sed frustra.

137.
Episcopus per sex annos decretum regis eludit.

138.
Demum Ecclesiam suam dimittit.

139.
Novus Coccinensis Episcopus cunctatur regis iussa facere.

140.
Christianæ rei detrimentum in illis terris.

141.
Decretoria regis littera de rebus in pristinum revocandis.

Curaverant interea nostri, de rebus in ora Piscariæ gestis per legitimos magistratus acta confici, & ad Regem mitti. Ea cum fuissent in Matritensi curia diligenter expensa, decretum est, religiosos Societatis in ecclesiarum possessionem esse restituendos. Id ipse Rex Ruizio Laurentio de Tavora Indiarum tunc Proregi perficiendum committebat. Tamen perfectum non est, nisi post annos plures. Ne statim regia promeretur iussa, in causa fuit religiosa moderatio P. Nicolai Pimenta provinciae Malabaricae visitoris: qui per illud tempus Goæ cum esset, sollicitus, non tam de amissis recuperandis, quam ut id cum bona Episcopi Coccinensis gratia fieret, impetravit a Prorege, ut suppressis tantisper Regis litteris, negotium sibi ex æquo & bono transigendum permitteret. Fuerat olim Pimenta Episcopo Coccinensi summa familiaritate junctus. Rem justissimam, & Regis auctoritate sancitam non putabat sibi a veteri amico denegandam. Jam quibus eum & litteris & officiis placare studuerit, longum esset explicare. Nihil amplius consèqui potuit, quam ut obsequiis bona duntaxat verba rependeret, in repellenda autem ab ecclesiis Societate pertinacius obfirmaret. Ubi ergo cætera nihil proficiebant, mandata Regis Episcopo denunciantur. Sed neque his valde profectum. Excepit contra Præsul, possideri ab aliis Sacerdotibus ecclesias: eos vero a possessione legitima non posse dejici, nisi cognita causa condemnarentur. Exceptione ista nihil excogitari poterat ad rem disturbendam opportunius. Nam quis Sacerdotes illos in judicium vocaret? Nostri, quorum unice fuisset actio, satis se facere officio arbitrabantur, quod parati erant curias obedienter recipere, si redderentur. Ut autem iudicio contenderent, alios qualescunque ab iis possessores detrudi, id a suis moribus institutisque alienum putabant. Suberat præterea illa ratio ne appetentiores ecclesiarum videri vellent, quod falsa quædam opinio percrebuerat, multorumque infederat animis, homines Societatis in ora Piscariæ partem de regis vectigalibus ad privatum quæstum derivare solitos, divitias maximas comparasse: quæ opinio quamquam evanisset simul ac pulsa fuit Societas (tunc enim liquido compertum est, præter pensiones publica auctoritate impositas, nihil unquam nostros a Paravis in suum commodum exegisse); tamen jam prorsus extincta revivisceret. Ita quiescentibus nostris, regias quas dixi litteras Episcopus sex continenter annos eludit exceptione possessionis. At demum sentiens, rem ulterius extrahi haudquaquam posse, consilium cepit deserendi prius omnia, quam quidquam mutandi, seque Episcopatu abdicavit.

Successit in ejus locum Episcopus S. Thomæ, idem ille, a quo datum Patribus innocentie testimonium supra videbamus. Pro ea quam præ se tulerat in nostrum ordinem voluntate, haud temere putabatur novus Episcopus in ipso aditu episcopatus Regis imperata facturus. At secus accidit. Vir vel suaapte natura mobilis, vel aliorum consiliis immutatus, principio moras alias ex aliis neçtere, nostris verba dare: donec ipse etiam decreto Regis opposuit exceptionis libellum, quo admisso, res iterum differebatur quoad iudicium fieret de jure, quo ecclesias Societati ablatas alii possidebant. Interea christiana res, cum in ora Piscariæ, tum in regno Travancoris, quotidie in deterius labi. Sacrarum adium quædam erant a longo tempore oclusæ, aliæ ruinosa: plures omnino corruerant. Christiani, maxime Travancorieneses, plerisque inter ethnicos dissipatis, ad miram paucitatem redacti: rudes iidem, summeque imperiti, quippe elementa religionis aut obliti, aut nunquam edocti: iis autem moribus, ut bene multi, præter qualemcunque externi cultus formam, vix haberent quo Christiani viderentur. Cognita hac rerum inclinatione, remedium ultra non distulit Philippus Rex. Monuit gravissimis verbis Episcopum Coccinensem, ne vana excipiendo regii decreti executionem morari pergeret: simulque Comitæ

de Rodondo Proregi Indiarum mandavit, ut quæ dudum imperaverat de reducendis Patribus Societatis in possessionem ecclesiarum, perficeret nulla mora, nullaque habita ratione cujuslibet exceptionis. Sibi, aiebat, ut Magistro summo ac rectori ordinis militaris, quem a Christo nominant, jus datum esse ab Apostolica sede constituendi in India legitimos neophytorum Parochos. A se constitutos deijci ab Episcopo non potuisse. Frustra vero implorare præsidium legum, immisos per vim in possessionem rei alienæ; cum nemini licere debeat obtinere per fas, quod per nefas acceperit. Quaecumque igitur jus possessionis obtendant intrusi ab Episcopo Parochi, nisi sponte cesserint, eos protinus deijciat vi, & Patres Societatis in antiquas sedes quamprimum reducat. De forensi jurisdictione, rem totam permittat Episcopo. Eum tamen moneat, ne plures in utraque ora vicarios constituat quam duos: talesque deligat viros, de quorum voluntate erga Patres Societatis nulla suspicio sit. Regis hæc litteræ Goam pervenere hoc ipso anno labente. Et commodum, mortuo nuper Rodondo, ex regis codicillis, quos vocant successionis, Indias regendas susceperat Ferdinandus Albuquerque, vir in nostrum ordinem egregie animatus. Is ergo Laurentio de Mello in Coccinensi foro causarum cognitori supremo negotium dat regia iussa exequendi: quo celeriter faciente, ad suas nostri ecclesias eodem anno redierunt. Jam quibus lætitiæ significationibus excepti fuerint a neophytis Patres, otiosum esset exponere. Tutucurini, quo post everfam regum insulam gentis capita remigraverant, adventante cum Patribus classe, tota se civitas in littus effudit. Magna pars consensu naviculis, quas ad hunc usum ornaverant, obviam illis progressi quam longissime sunt, tripudiis interim, cantu, manuum tormentorum explosionibus, commune omnium gaudium de reditu suorum Patrum testantes. Qui vero in litore confiterant, ut propius accesserunt naves, ingressi mare pedibus quantum aquarum altitudo patiebatur, certabant, ut excensuros in terram suppositis humeris veherent. Ita expositos, exceptosque frequentissima multitudo, quæ ex proximis undique locis confluerat, in sacram ædem ad solemnem Deo gratiarum actionem perfolvendam deduxit. Inter eundem, alii peristromata, alii propria corporis indumenta eorum pedibus substernebant. Quacumque incedendum fuit, viarum latera ramalibus arborum intexerant. Aderat cum hæc agebantur Malabaricæ provinciæ Præpositus P. Gaspar Fernandez, eodemque die novum collegio Tutucurini rectorum imposuit, & singulis oræ pagis e numero sociorum, quos habebat circa se, pastorem tradidit. Inde transmissum est in regnum Travancoris, ubi ob paucitatem inopiamque neophytorum, minori quidem pompa, sed non minori assensu, ac gratulatione Patres in antiquas sedes restituti fuerunt. Atque hunc, Deo protegente, habuit exitum gravissima perturbatio provinciæ Malabaricæ.

Quo tamen tempore tempesta illa conquievit, in altera ejusdem provinciæ parte diocesim Cranganorensis foede turbabat unius viri vetus & insanabilis morbus, ambitio. Offenderat Archidiaconum, projectæ audaciæ hominem, ac superbissimum, quod Archiepiscopus Franciscus Rozus, profecturus ob negotia Madurensia Goam, non ipsum, sed collegii nostri rectorem rerum arbitrum, & suum in provincia vicarium reliquisset, absente se. Delatum alteri honorem suam contumeliam ratus, eo prorupit amentia, ut palam defecerit ab Archiepiscopo, ejusdem potestatem sibi arrogaverit, & Thomæorum magnam partem, ad defectionem traxerit. Toto fere quadriennio, quandiu Rozus superstes fuit, furere perrexit improbus, omnia quæ Antistitis sunt sibi vindicans, nullam concordia conditionem audiens. Erant ex nostris qui Rozo suadebant, ut furentem demereri blanditiis studeret, censebantque, partem aliquam publicæ administrationis illi permittendam. Tantam rerum perturbationem intuentibus tolerabilior videbatur unius viri arrogantia, quam postremum malorum discordia, qua divulsus a suo pastore grex ad interitum rapiebatur. At prudens, & ingentis animi Præsul nullis adduci suasionibus potuit, ut quidquam de summo jure remitteret. Qua enim erat rerum experientia, sibi persuadebat, nec ante

Tb. I.

Ll

bona

143.
Redduntur nostris Ecclesiæ. Qua lætitia Patres excepti fuerint a neophytis.

143.
In diocesi Cranganorensi turbas excitat Archidiaconus.

144.
Constantia Archiepiscopi contra illum.

bona fide illum ad catholicas partes accessisse, nec accessurum aliquando; sed Nestoriano penitus imbutum veneno id unum egisse semper, ac porro acturum, ut res Thomæorum iterum ad Babylonios traheret. Hinc sive concordiam simularet, sive dissidium præ se ferret, nullam habebat homini fraudulento fidem, & minus timendum putabat apertum hostem, quam insidiatorem occultum. Et vero ea contigerunt postea, ex quibus æstimare licuit, plus in hac re Archiepiscopum vidisse, quam cæteros. Interea allata sunt Roma litteræ, quibus Rozo adjutor dum viveret, post ejus vero obitum successor designabatur P. Stephanus de Britto. Hunc sibi quasi collegam dari poposcerat ipse Rozus, tum ob senium ingravescens, tum præsertim quia verebatur, ne si mortuo se vacua inveniretur sedes Archiepiscopalis, ad eam occupandam arcesceretur Babylone successor. Nihilominus, quæ est hominum etiam optimorum infirmitas, designationem auctore se factam ægrius accepit. Nam quia Brittus cum Archidiacono mitius agendum existimabat, suspicabatur senex, ne deinde per fugiam illi daret, omnemque perverteret ordinem consiliorum suorum. Auxit suspicionem latitia insolens, qua efferri visus Archidiaconus, ut de Britti designatione nunciatum est. Quare Brittus, cui cognita Antistitis ægritudo, dolens angustia sua causa optimum, & sibi carissimum senem, ad delinendum ejus animum statuit, quamdiu ille viveret, non solum abstinere infulis, verum etiam a dioecesi longius abesse. Sed jam de provincia Malabarica fatis multa.

145.
Ejusdem mor-
tor ob datum si-
bi successorem.

146.
RES JAPONIÆ.
Nangasachii re-
fodiuntur Chri-
stianorum mor-
tuorum cadave-
ra.

147.
Nosocomia, &
hospitia paupe-
rum destruun-
tur.

148.
P. Matthæus de
Couros frustra
perquiritur.

149.
Capitur Mat-
thias quidam
P. Matthæi co-
mes.

Progredimur in Japonicam, & ab urbe Nangasachio rerum dicendarum initium sumimus. Novo ibi genere crudelitatis, & ad odii significationem insigni favitum hoc anno est. Prætor urbis Conrocius, ut christiani cultus monumenta omnia funditus tolleret, e quatuor publicis Christianorum sepulchris erui ossa defunctorum, & extra urbem deportari jussit: qua inhumanitate vix mente concipi possit, quantum horrorem urbe tota sparserit, quantum lacrymarum exciverit. Vix erat in frequentissima civitate familia, quæ non aliquem suorum censeret inter illos mortuos, quorum cadavera refodiebantur. Itaque ad omnes pertinuit dolor insanæ crudelitatis aque acerbus, ac justus. Diceret in unum diem fuisse congesta multorum annorum funera. Certe uno die multorum funerum luctus renovatus est. Areas cœmeteriorum Conrocius donavit boniis, ut illic profana templa, & cœnobia sua ponerent. Neque id satis. Erant partim intra mœnia, partim in suburbis publica domicilia septem, alia agrorum, alia pauperum curæ destinata. Omnia barbarus eadem die solo aquavit, ejectis in publicum pauperibus agrotisque amplius quadringentis; haud dubie perituris, nisi eos Christianorum misericordia tuendos suscepisset. Hinc ad perquirendos Dei ministros, quorum plures sciebat intra urbem delitescere, curas omnes convertit: optassetque carnifex, ut una quædam esset Christianorum omnium cervix, quam uno ictu posset demetere. Odium illi præcipuum in P. Matthæum de Couros, qui munia Episcopi, ut alibi dictum est, tunc obibat, & Japonicæ Societatis provinciæ præerat. Hunc pridem mortuum crederat: at nunc & vivum esse, & Nangasachii præsentem audiens, unum ut comprehenderet, omnes urbis latebras excutiebat. Edixerat, ut post occasum solis omnia viarum capita claustris occluderentur. Excubitores constituerat, qui ex insidiis explorarent, si quando ex unis ædibus transgredere in alias. Omnia demum conabatur, ut illum haberet in potestate. Sed vasti nebulonis artes omnes fefellit divini numinis providentia, cui se Matthæus totum crediderat. Sane quod ne sic quidem fuerit captus, visum omnibus miraculi simile. Abierat enim Nangasachio, atque iterum in eandem urbem redierat. Sæpe ex ipsis prope quærentium manibus evaserat. Sæpe eum viderant satellites, sæpe curiosius inspexerant, nemo tamen agnoverat. Erat Patri Matthæo ad ferendas epistolas administer vir insigniter probus, Matthias nomine. Is nocte concubia comprehensus cum fasciculo nescio quo, ducitur ad prætorem. Soluta involucri, apparet tunica Societatis. Quærentur cujus sit ea vestis? ad quem defertur? Ille conticescere. Instant, minantur, sternunt humi prorum, & verberibus

bus afficiunt. Ne verbum, aut gemitus quidem. Ergo ad graviora supplicia progrediuntur. Admoto ori infundibulo, aquam ingerunt stomacho quantam capere possit, & haurire respirando debeat. Tum ventri instar dolii distento genibus incumbentes, aquam per omnes corporis meatus vi extrudunt. Dirum tormenti genus apud Japones usitatum. Cum patientem vita deficeret, & jam una cum aqua & sanguine eruptura videretur anima, cessatum parumper est ab immani cruciatu. At jubetur iterum effari, num quem Sacerdotem sciat esse Nangasachii? Novi sane unum, inquit, qui Firandi modo degit. Arrestis omnibus, instantibusque ut nomen ederet, nominavit sceleratum apostatam omnibus propter flagitia probe notum. Hunc, subjecit, impune crucietis licet; at bonis innocentibusque parcite. Sensit barbarus, se æque ac tormenta sua ludibrio haberi: iraque infrendens: Etiam ne, clamat, illuseris mihi execrande? Simul instaurari aquæ supplicium jubet. Matthias cum disrumperetur, exerta propter vim doloris lingua, jacuit semianimis. Vidit miles improbus, & pugno in mentum impacto collisit oris dentes, quibus linguæ pars prominens abscissa est. Ita, quod Christi miles optabat ut loqui ne posset quidem, est consecutus. Judices, adempta spe eliciendi ullum de Sacerdote indicium, cruci illum destinabant, aut rogo. Sed Matthias doloris acerbiter non ferens, evasit ex impiorum manibus fortunata morte. Cadaveri non pepercerunt sevi carnifices. Caput humeris revulsum, infixumque hastili summo per celebriores urbis vias ad ludibrium circumtulere: truncum in mare projecerunt.

Illo extincto, restabat indicium tunica: nec dubitandum videbatur, quin in ea urbis regione, ubi Matthias fuerat captus, lateret aliquis Patrum. Latebant reipsa, præter alios, P. Provincialis Couros, & P. Joannes Baptista Baeza: & quidem ita abdit, ut neque egredi possent noctu, obseratis viarum capitibus, neque auderent interdium, propterea quod omnia speculatoribus plena erant. Movebantur illi tamen periculo, non tam suo, quam hospitem carissimum, aliorumque in quorum vicinia hospitabantur. Videbant enim, si apparitores, ut iussi fuerant, ades singulas scrutarentur, haud difficulter se posse intercepti. Quare Provincialis, ne tot innocentibus crearet perniciem, prodire denuo e latibulo, & mutare locum statuit. Cum nocte ob viarum claustra non posset, audaci usus consilio effugium luce palam tentavit, nulla re tutior, quam periculi magnitudine. Nam quis suspicaretur, hominem tam sollicitè perquisitum, per urbem mediam, plena luce incessurum? Ergo circa meridiem in aperta lætica sedens, dat se vehendum extra urbem. Deversus est per celebriores vias, ac secus ipsum prætorium, in quo Gubernator degebat. Nemo transeuntem curiosius inspexit. Quod ejus exemplum secuto haud multo post Baeza, ambo feliciter servati sunt. Reliqui erant in latebris Nangasachienfibus focii novem. Hi, sublato intra paucos menses edicto de viarum exitibus obserandis, noctu Christianorum domos obire perrexerunt. Neque vero intra limites urbis se continuit eorum labor. Omurenfes, Satzumanos, quique Firandum, & huic proximas insulas incolunt, adierunt, missa a Paulo Pontifice indulgentiarum beneficia circumlati. Quod utile omnibus, sed Omurenfibus præcipue fuit. Eos enim jam salubriter conterruerat mors infelicis Reguli præceps, & immatura: plerisque palam affirmantibus, miserimum Principem pœnas ultori Deo dedisse perfidiæ, & impietatis, qua datam Christo fidem turpiter sefellisset. Hinc ad Christum adducti plures: in quibus cum essent aliqui ex cohorte militum, qui Omurensem carcerem custodiebant, ea res vincis non nihil profuit ad percipienda facilius vitæ præsidia, quæ a piis Christianis submittebantur.

Ante quam hæc agerentur, VII. Idus Januariæ obierat in illo tetro ergastulo Frater Ambrosius Fernandez. Nec enim homo grandævus annorum sexaginta novem durare diutius potuit intolerabiles ærumnas loci, inedia, graveolentiam, padorem, hiberni frigoris acerbiter, nives præsertim fere perpetuas, quas illo mense horridus aquilo in patentem carcerem per intervalla

To. I.

L 1 2

sti-

150.
Diretorquetur,
& inter crucia-
tus expirat.

151.
PP. Couros &
Baeza, audaci
consilio disru-
giunt.

152.
Sociorum la-
bores Nangasa-
chii, & in pro-
ximis locis.

153.
Moritur
Fr. Ambrosius
Fernandez in
carcere Omura-
no.

154.
Ejusdem vitæ
summa, & re-
ligiosæ virtutes.

stipitum ingerebat. Incommodis pro fide toleratis fuisse prostratum, jurati affirmarunt quotquot erant carceris & poenæ socii, quorum testimonia rite atque ordine perscripta excepit P. Carolus Spinula. Nec absuit suspicio veneni, quod illi clam propinatum & convulsiones insolitæ, & vomitus sanguinei, & livida cadaveris notæ indicaverunt. Natus Fernandez in oppido Sisto diocesis Portuensis in Lusitania, vela fecerat in orientem ineunte ætate, ut rem negotiatione augetet. Tempestate adversa ad maritimam Sinarum oram expulsus, votis, ut mos periclitantium, salutem pactus est. Ea sæpe vota in ventos abeunt, ubi naufragii periculum præterierit. At Ambrosius promissi memor, servatam a Deo vitam Deo consecravit in Societate. Post exactos inter nos annos tres & quadraginta, felici quam diximus morte præmium accepit virtutum maximarum, quibus id fuerat consecutus, ut inter Japonensium passim sanctus senex audiret. Incommoda & labores in deliciis habebat. Semper eodem inter prospera & adversa vultu, animoque erat. Nunquam irasci est visus, nunquam appellare durius quemquam auditus. In vestibus, in victu, in quotidianæ vitæ consuetudine, quidquid deterrimum esset aucupari solebat. Ad mentionem oppetendæ pro Christo mortis, & ardentis rogi, exiliebat gaudio, & lætitiæ cœlestis, qua totus perfundebatur, partem sociis aspergebat. Statim atque extremum edidit spiritum, erupit omnium læta vox divinas canentium laudes, & Spinula ob sodalem beata donatum nece gratulantium. Mox deosculari pedes, & aliquid ad monumentum stimulumque pietatis e capillis ejus, aut vestibus decerpere. Triduo toto jacuit in carcere, quia per satellites improbos efferendi copia non dabatur. Victi denique precibus, raptarunt foras cadaver, & injecta raptim humo contexerunt.

155.
Indicantur car-
ceris Omurani
incommoda.

Mirum porro accidit, tandiu constare vitam reliquis in illo carcere potuisse. Affirmabat Spinula ad P. Sebastianum Vieram scribens, nullum esse corporis sensum, qui non ibi proprio quodam dolore conflictaretur. Primus dolor ab angustiis loci, per quas vix unum promovere gradum licebat, nedum commode ad capiendum somnum jacere. Alter a fœtore intolerabili, qui tot corporibus arctissimo spatio conclusis, & continuo ferme sudore per ætatem, diffluentibus, animam prope intercludebat. Adde vestium illuviem, quas purgare, aut mutare nulli concessum: adeo ut annis quatuor P. Spinula idem semper, indusium olidum detritumque gestaverit. Adde positas in ipso carcere latrinas, quæ cum redundabant (nec enim exhauriebantur unquam), fordes in pavementum effundebant, agmenque turpe vermium, quibus omnes cooperti erant, ac vivi propemodum absumentur. Tertius cruciatus a fame, quæ confecti, & extenuati, totidem videbantur larvæ nudis harentes ossibus. Decreverat enim tyrannus eos paulatim inedia necare, ne illorum virtus in cruce, vel rogo palam perspecta, multos ad æmulationem accenderet. Ne suum deesset oculis tormentum fecerat immanitas militum, per quos nemini fas nocturnas tenebras admoto lumine propulsare. Aures conviciis ethnicorum, & procacibus jocis perpetuo obtundebantur. Nec nihil erat incommodi, quod quoties naturæ necessitati serviendum esset, nemo aliorum effugere conspectum poterat: haud leve tormentum natiivi pudoris, & indolis liberaliter institutæ. Tot nihilominus poenarum formas viri fortes, non æquo tantum, sed hilari etiam erectoque animo perferebant. Sustentabat illos divinarum ubertas consolationum, quibus sic delibuti erant, ut scriberet ad eundem Vieram Spinula, se in hoc ergastulo tanquam in cœlo esse. Quotidie ante lucem per horam integram vacabant rerum cœlestium meditationi. Reliquum tempus usque ad prandium, aut legendis libris piis, aut precibus voce obeundis, aut percurrendo rosario, psalmisque concinendis transigebatur. Eadem pietatis exercitationes repetebantur a prandio, postquam animos piis colloquiis paulum relaxaverant. A cœna conscientiam exercebant, seque flagris diverberabant. Deferebatur singulis hebdomadis ad unum aliquem ex ipsis imperium caterorum, & quasi carceris præfectura. Hujus munus erat indicere, quæ, quibus horis agenda occurrerent: pro-

156.
Pia victorum
exercitationes in
illo ergastulo.

proponere sociis siquid vocandum in deliberationem, siquid in communi statuendam esset: demum verbo, & exemplo aliis præire.

Dum per hæc illi ad mortem pretiosissimam se comparabant, laboribus evangelicæ ministerii succubuerunt PP. Emmanuel Barretus, & Joannes Fonseca, arbo Lusitani, ambo inter operarios Societatis inclytos numerandi. Barretus Firra oppido Portuensis diocesis oriundus, Societatem in India complectus erat. Ludovico Cerqueiræ Japonum Episcopo additus comes, regna plurima peragravit, multos indigenas ad Christum pertraxit: linguam vernaculam, cuius erat apprime gnarus, libris editis illustravit, ejusque salebras in gratiam recentium operariorum complanavit. Morbo demum ex rerum penuria contracto, pie decessit v. Idus Martii, anno ætatis quinquagesimo sexto. Sex annis minor erat P. Fonseca, ac triginta duos consecerat in Societate. Christianos Arimenses anno jam decimo sexto excolebat, cum exhaustum incommodis beata mors meliore vita donavit III. Cal. Octobres. In istorum interea locum sex alios collegium Macaense submitit: quod supplementum accessit ad reliquos triginta de nostris, qui tunc rem christianam in Japonia procurabant. Ardebat his se adjungere P. Didacus Valens Japoniæ Episcopus. Sed eum Macai tenuit, tum Japonici sermonis inscitia, tum quod in hac temporum perturbatione difficiles Europæo recenti latebræ, multo difficiliore Episcopo, parum quidem certe Christianis utiles futuræ essent. Alii tamen e nostris regionum, & morum gnari, insidias ubique positas variis artibus eludebant: ea præsertim adhibita cautione, ut in eodem loco non consistenter diu, sed post brevem moram ad alium transirent. Ita factum, ut cœlestis doctrina latius hoc anno, quam unquam antea spargeretur. Coactis enim Evangelii præconibus instar nubium prætervolare, divinus imber terris pridem incultis arenibusque infundebatur. Vix pars Japoniæ fuit, ad quam pars cœlestis beneficii non perveniret. Quocumque Patres adventarent, jaciebant fidei semina, quæ deinde, relegentes eadem vestigia excolebant paululum, donec suam illis dies, & cultura identidem repetita maturitatem afferret. Solus P. Joannes Baptista Porro, ut de aliis taceam, totas quatuordecim provincias in orbem percurrerat, easdemque nunc a capite exorsus revisabat. Illi non concedebat de labore evangelico P. Hieronymus de Angelis, cujus præsertim curæ concredita erat regnum Voxuanum. Paucis mensibus ethnicorum nongentos nonaginta sex principi tenebrarum eripuit, & regum regi Christo subiecit, in iisque bonzios proceresque quamplurimos. Sed neophytis Voxuanis tetra repente incubuit tempesta, cujus initia operæ premium est cognoscere.

Regni maximam partem obtinebat Masamunes, homo avarus æque ac fraudulentus: idem ille scilicet, qui ante aliquot annos, duce venerabili viro Ludovico Sotelo Franciscano, legationem miserat ad Hispaniarum Regem, Romanumque Pontificem, specie quidem christianæ religionis amplificandæ, re tamen ipsa ut commercium institueret cum nova Hispania, atque inde quæstum pararet. Is nunquam antea neque Christianis, neque eorum doctoribus adversatus, utrosque acerbis infectari anno labente cœpit. Nam cum auditum esset in aula de legatione quam dixi, eamque rem Imperator non æque ferret, Masamunes, ut averteret a se suspicionem inita cum Christianis amicitia, regnumque conservaret, per omnia Xendaii compita (id primariæ civitati nomen) præfigi jussit libellos in hæc verba. *Condemnatam ab Imperatore sectam Christianorum nefas est tolerari in meo regno. Omnes ergo ad pristina redeant sacra. Qui contra fecerint, iis, si erunt nobiles, bona omnia adimantur: cæteris vita. Quicumque Christi cultorem occultum indicabit, mercedem amplam referet. Præcones Evangelii, aut sacramentum dicent in verba bonziorum, aut exulabunt.* Edicto promulgato, cum in omnem partem dimissi essent satellites, Christianorum aliqui metu prostrati a fide desciverunt: quo in numero primus fuit Fraxecura Rocujemonus, olim legationis ad Pontificem missæ comes, & hoc ipso anno redux ab Europa. Sed miser cito dedit perfidiæ poenas, repen-

157.

Mors & elogium PP. Emmanuelis Barreti, & Joannis Fonseca.

158.

Submititur in Japoniam nova Sociorum manus.

159.

Res gestæ per diversas Japoniæ partes.

160.

Christi religio proscribitur in regno Voxuano.

161.

Christiani plures a fide desciunt.

162.
Plures in fide
confirmantur.
Unius præclara
fortitudo.

163.
Nonnulli sup-
plicio afficiun-
tur.

164.
Adolescentuli
eujusdã virtus
admirabilis.

165.
P. Didaci
Carvallii expe-
ditio in Giezum.
Quænam regio
ea sit.

166.
Qui mores, &
institutã gentis.

pentino morbo consumptus. Alii contra, & multo quidem plures, bonis omnibus dispoliari, in exilium pelli, aut in carceres tenebricosos detrudi cum liberis & conjugibus maluerunt, quam fidem ejurare. Exemptus fuerat a communi edicto præcipuus dynastes Joannes Goto, tum propter eximia in republica merita, tum quod certo constabat, vitam illi citius, quam Christi cultum ereptum iri. Ab eo barbarus juramentum duntaxat exigebat de non recipiendis hospitio Sacerdotibus. Repulit jusjurandum impium Goto, perrexitque nostros Matthæum Adamum, & Hieronymum de Angelis patrocinitio tueri, nec tamen ob eam causam vel leviter violatus est. Verum Masamunes, ne legum suarum exactor negligens videretur, sex e populo sumpsit Christianos, quorum morte cæteros perterrefaceret. Processere ad supplicium martyres tam lato vultu animoque, ut ex illo spectaculo Christiani, non metum, sed animum potius, & alacritatem traxerint. Hoc magis barbarus crudelitatem expromere. Duo erant egregii conjuges, a Patre de Angelis haud ita pridem iritiati. Viro nomen Joachimus, uxori Anna, ætas utriusque provectior. Hos impius Regulus capite truncari palam jubet. Sed neque sic cæteri sunt conterriti. Raptatos ad necem agmen ingens Christianorum in splendidis vestibus, tanquam ad triumphum, deduxit: quæ species Masamunem supra quam dici possit percudit. Jam ergo, ne totum prope regnum sine fructu cruentaret, non igne deinceps aut ferro, sed astu blanditiisque rem tractare statuit. His armis in speciem lenibus, sed re ipsa crudelissimis, facile expugnavit dynastem sibi sanguine junctum. At non item expugnare ejus filium duodecim tantum annos natum potuit. Eum impius Pater ut præstaret incolumem, fixerat a Christo secum defecisse. Rescivit generosus puer. Nec mora. Parentis impietatem detestatus, ad judices recta pergit, Christianum esse se, ac porro dum vita suppeditabit fore renunciat. Moti ætate & innocentia pueri judices, innoxium dimiserant. At Pater factum indignissime ferens, retrahit illum vi ad judices, utque iis eorã Christo nuncium remittat, jubet. Post varias hinc inde altercationes, decernitur a judicibus, ut puer aut paternam hereditatem, aut religionem abdicet. Ego vero, inquit puer, non paternam modo hereditatem, sed omnium regnorum bona libens abjicio, ut æterna consequar. Incensus ira & furore genitor, stricto pugione filium invadebat, vim illaturus, nisi qui aderant prohibuissent. Prociderat jam in genua puer, & nudum ferro pectus objiciebat. Cepit omnes commiseratio. Rogatus pater ut filio ignosceret, & dolorem dissimularet, domum se recepit. At ibi, dum secum reputat admitti sceleris atrocitatem, in alium pene hominem vertitur. Veniam a Deo precatus, recurrit ad judices, retexit orationem pristinam, se paratum ad eluendam cruore maculam perfidiæ offert. Tamen Masamunes a propinquo suo crudelitatem abstinuit.

Inter hæc P. Didacus Carvallius, digressus a ditione Masamunis, memorabilem peregrinationem peragebat. Iter illi erat ad pios exules, quos alibi diximus in Tzugaram, extremum Japoniæ ad septentrionem angulum, fuisse relegatos. Cum venisset in regnum Devæ, audit obsessam esse terrestrem viam custodiis, nullique transitum præterquam mercatoribus dari: patere tamen aditum transmittentibus mari a Giezo. Insula ne sit Giezu, an continens, adhuc incompertum. Regionem latissime diffundi constat, colique ab hominibus vultu ingenioque quam proxime accedentibus ad Europæos. Præcipua gentis civitas Mazzuma, ab opposita Tzugaræ ora angusto freto dirempta. Gens procera, aspectu candida, viribus multum valens. Ejus arma arcus, acinaces, & sagittæ, quas exitiali toxico, ex quibusdam herbis araneisque putrefactis elaborato, insciant. Barbam pectore tenus promissam gerunt. Capitis anticam partem radunt, posticam habent intonsam: non fluentibus tamen capillis, aut in nodum collectis, sed ab ipso statim occipitio subrectis. Ex auribus annulos ingentes demittunt serica tania illigatos. Vestis ad pedes fluit, bombycina per æstatem. Hibernium frigus ferarum exuviis arcent. Non auro gemmisque, non cerussa gaudent mulieres, sed vitreis quibusdam globulis trajecto serico funiculo connexis, quos

quos e collo in pectus demittunt. Argentum aurumve non signant, sed merces commutant mercibus prisco more. Publica res bonis ac certis legibus administratur. Concordiam, qua maxime stat felicitas publica, fovent honore mutuo, & urbanitate, cujus multæ leges, & advenis haud parum molestæ. Plurima, quæ ad civilem usum spectant, hauserunt a Tartaris, etsi cum iis nec tributo, nec fœdere sint conjuncti. Japonum vicinorum ferocitatem bellicam humanitate condiunt, quam videntur a Sinis accepisse. Longissime tamen absunt a propudiosis libidinibus, quarum contagio Japones æque ac Sinæ sunt inquinati. Conjugalis fidei adeo tenaces, ut inultam semel adulterii maculam nulli temporis diuturnitate elui putent. Solem & lunam venerantur, non uti deos, sed ut multorum quæ contingunt hominibus commodorum auctores. Jam si quis est, inquit, montium præses, & pelagi rex, hunc veneramur & colimus, cujus beneficio ligna dant nobis montes, & pisces mare. Sacerdotibus & boniis carent, imo & libris, & litteris. Memoria seniorum vice librorum & annalium fungitur. Ad eos quotannis confluant Japones ad triginta millia, interdum etiam ad sexaginta. Causa tanti concursus auri copia, cujus uberrimæ ibi sunt, ac per sese fluentes venæ. Illud enim ultro e montibus torrentes fluviique devehunt, & quidem ita probum purgatumque, ut obrizum putes. Unus incumbit labor indigenis colligendi sponte oblatas opes, ac divites micæ ab arenis secernendi: quæ facultas, modico pretio Principi persoluto, advenis etiam datur. Terram Evangelii præconibus inaccessam primus omnium adierat ante biennium P. Hieronymus de Angelis, miratusque intextas vulgo omnium vestibus parvas cruces, quarum illi causam se nescire fatebantur, argumentum non leve putaverat christianæ fidei olim ab Apostolo Thoma, vel quopiam alio ejus discipulo in eam plagam invecæ. Quosdam etiam deprehenderat Christi cultores, ab anno hujus sæculi tertiodecimo baptizatos, & divina lege institutos a quodam medico, qui illuc ex Japonia pervaserat. Auxerat eorum numerum Pater de Angelis, & novæ cujusdam Ecclesiæ fundamenta jecerat.

Hæc omnia de Giezo cum cognovisset Carvallius, eo se ferre constituit, ut inde Tzugaram transmitteret. Conscenso igitur navigio, sumptaque veste metallici, conjicit se in turbam Japonum illuc auri colligendi studio concurrentium. Aliæ tamen illum divitiæ, alia alliciebat præda, salus incolarum. Mazzumam appulsus, audit occultandam sibi esse conditionem suam. Rex quippe, etsi ante annos duos Patrem Hieronymum de Angelis hospitaliter habuisset, post ejus discessum edixerat, ne quis deinde legem Christianorum amplecteretur, aut ejus doctores teçto reciperet. Ut id decerneret, motus fuerat exemplo Xoguni Imperatoris, cui amico & potenti gratificari studebat. Quare delituit Carvallius apud probatæ fidei Japonem, religione Christianum. Non ita tamen delituit, ut de ejus adventu ignorarent neophyti. Paucis diebus omnium confessiones excepit, omnes piis recreavit alloquiis, & ad constantiam confirmavit. Divina ibidem litavit hostia, quod ante ipsum fecerat nemo. Nam Hieronymo de Angelis per improbitatem portitorum non licuerat instrumentum sacrificale deferre. Post brevem, sed utilem moram, relictis Mazzumæ qui suas vices obirent duobus catechistis, ad eos transit, qui auri particulas in alveo fluminis scrutabantur. Erat iter diei unius in interiora regionis, per jugum montis acclivis, & confragosi. Dum per oppositum montis dorsum descendit, habuit in conspectu quos quæsitum ibat Christianos, mapalia habitantes ex ramis arborum ædificata, ad oppidi speciem. Exceptus incredibili gaudio, eandem illis operam impendit, quam Mazzumanis impensam dicebamus, sed paulo liberius, & diutius. Demum inter lacrymas cari gregis Tzugaram solvit turbæ negotiatorum mixtus, illamque Japoniæ oram inobservatus attigit. Non dicam quibus lætitiæ significationibus venientem exceperint beati illi exules, qui vitam omni humano commodo solatioque destitutam trahabant. Respirare nonnihil visi sunt in ejus conspectu, complexuque. Nullum faciebant finem laudandæ charitatis, qua tam arduum ac periculosum iter eorum

157.
De ejusdem indole, religione, litteris, & opibus.

168.
Vestigia christianæ religionis in Giezo deprehensa.

169.
P. Carvallii labores, & res gestæ in urbe primaria Giezi.

170.
Digreditur ad metallicos, iisque utilem operam impendit.

171.
Transit in Tzugaram. Ut illum exceperint Christiani exules.

rum

172.
Excurrit
in alias Japoniæ
provincias.

rum causa suscepisset. Nec temperabat a lacrymis Pater, cum tot insignes belli ac domi viros cerneret, opibus olim commodisque circumfluentes, nunc situ & macie luridos, seminudos, solibus perustos, ac frigore: virgines item, matronasque miseris oppressas, cœlesti tamen consolatione perfusas, nec alium vite finem expetentes, quam ferrum aut rogam. Omnes Carvallius peccata confidentes audivit, omnes divini verbi pabulo, & communione sacrorum recreavit. Inde terrestri itinere ad dexteram flectens, Cubotam venit, urbem Aquitensis provinciæ metropolim, ubi quotquot reperit Christianos (reperit autem bene multos), similiter exultos, & in fide confirmatos reliquit. Denique cum immensum terræ tractum peragrasset, ubique neophytis poenitentia, catechumenis baptismo, omnibus congrua institutione impertitis, regrediebatur in regnum Voxuanum, suam scilicet stabilem ac perpetuam sedem. Sed admonitus de Masamune in Christianos saviente, divertit ad proximum regnum Devæ, ubi hujus anni excursionibus finem fecit.

173.
Labores P. Benedicti Fernandez.

Haud fegnius interim alii de Societate per insidias, ac tela satellitum in omnem Japoniæ partem se diffundebant, ut omnibus presto essent. Favebat eorum concursationibus, quod mireris, hiems, anni tempestas viatoribus plerumque incommoda. Cum enim soleant per illud tempus Japones iter facere vultu, propter vim frigoris, operto, id Patres securus præstabat, quia ignotos. Ut de uno tantum alterove in specimen cæterorum dicam, Meaco egressus P. Benedictus Fernandez, quidquid Christianorum erat inter hanc veterem Japoniæ metropolim, novamque regni sedem Yedum, per millia passuum amplius ducenta lustravit, ubique nova sobole Christi gregem augens, Dei verbum, ac reliqua salutis præsidia dispertiens. Surungæ, quæ Daifusamæ regia fuerat, triduo commoratus, reliquias haud sane modicas florentis olim Ecclesiæ reperit. Conspiciebantur præ cæteris viri nobiles duo, quos ante sexennium tyrannus fortunis exutos, succis poplitibus, truncatis manibus pedibusque, demum forma crucis inusta fronti, non tam vitæ, quam miseriæ, & Christianorum terrore servaverat. Retinebant illi tristes diræ crudelitatis notas suo incredibili gaudio: & quamquam artubus laceratis jacerent, sustentabant nihilominus rem christianam, non tam libero oris eloquio, quam illustri patientiæ aspectu eloquentissimo. Fernandus beatum par amantissime complexus, Yedum in ipsam Xoguni, ac totius imperii sedem venit. Diebus quinquaginta ibi mansit, ut Christianos sub oculis, vel potius sub cultro Imperatoris positos necessariis præsidii muniret. Hinc iter novem dierum emensus, Numatam, Codzuchiumque attigit, loca nondum a quoquam Societatis Sacerdote peragrata, ubi novam fundavit Ecclesiam, illustribus postea nobilitatam viris, & virtutibus. Tum in regnum, quod vocant Yetchu, inter crepidinem continuæ rupis, & proximum mare, difficillimo itinere progressus, veteres quosdam Christianos, contra sævitiam temporum invictos, sacrorum communione refecit. Postremo Canazavam excurrit, metropolim regni Cangæ, ubi propter Christianorum multitudinem tres menses commoratus, præter alios, adolescentem egregium, Imperatoris ex fratre nepotem, Christi cultoribus addidit.

174.
Quam strenuos
Christianos invenit
Surungæ.

175.
Progreditur
in alias Japoniæ
partes.

Eodem tempore P. Julianus Nicaura Bugense regnum, omnesque circumpositas regiones obibat: neque solum neophytos in doctrina fidei confirmabat, verum etiam multos procerum e superbis ethnicis humiles Evangelii discipulos faciebat. Ea quippe vis erat cœlestis gratiæ, ut nobiles natalium splendore, & solemnem gentis arrogantia plebem conculcare soliti, statim atque doctrinam fidei degustaverant, factum, innatosque spiritus deponerent. Istiusmodi nobilium, unus, cum a Nicaura baptismum accepisset, relicta per octo menses uxore, ac liberis, minime dubitavit loco famuli ipsum deducere, dum medici cultu tectus concursabat huc illuc, specie quidem ut medicinam faceret corporibus, re tamen vera ut salutem animabus afferret. Alter Cocuræ, in urbe regni Bugensis principe, non putabat avito genere, & militari qua olim floruerat gloria indignum, juventutem christianam bonis moribus ac litteris erudire, ac *Cambonem* age-

agere, quæ vox apud Japones ludimagistrum sonat. Nobilis dynastes erat is, Simon Bocufajus nomine, qui christianæ humilitatis præmium tulit amplissimum, pro Christo moriens. Nam cum accepisset hospitio, haberetque domi tres neophytos, Thomam Guengorum, Mariam ejus uxorem, ac communem utriusque filiolum Jacobum, eosque doctrina Christi imbueret, Jecundonus Bugi Rex misit ad ipsum mandata cum minaci nuncio, ne proscriptam a Xoguno legem explicare cuiquam pergeret. Non obtemperantem vocat cum uxore Magdalena, & piis hospitibus. Aderant quinque numero, uno omnes, & eodem animo. Rex vi-cturos omnes significat, si Christum ejuraverint: nisi fecerint, morituros. Illi evangelica doctrina probe instituti, tunc denique servari vitam respondent, si pro Christo perdatur, perdi si male servetur. Hanc philosophiam non intelligens Jecundonus, cunctos in crucem tolli jussit. Sententiam in hasta sublimem præferebat licitor totidem verbis conceptam: *Istis crux irrogatur a Principe, quia promulgatam a Patribus legem amplexi, eam recusant abjicere*. Simon, & Magdalena vivi spirantesque perfliterunt in cruce usque ad sequentis diei vespeream. Maria paulo diutius. Thomas, & adolescentulus Jacobus vivebant adhuc post triduum: cum satellites pietate moti, an tædio? utrumque lanceis transfixerunt. Corpora cum ipsis crucibus cremata sunt, cineres in mare projecti. Tradunt, dum urebantur, geminam supra martyres iridem apparuisse, alteram alteri sic obversam, ut earum convexa se mutuo contingerent; idque etiam, ethnicis fuisse miraculo. Sed de Japonia satis.

Sinenfibus novum Imperatorem hic annus dedit. Vanlieus rerum potitus per annos undequingenta, nunc demum personam tandiu male gestam cum vita deposuit: hac una re nostris annalibus memorandus, quod ejus tempore Societas Ecclesiæ Sinicæ fundamenta jecit. Suscepit aliquando miser Imperatoris animum & curas, sed nimis sero, cum nimirum imperare ac vivere desit. Ducibus militiæ fortitudinem ac diligentiam, præfectis provinciarum concordiam, omnibus curam salutis publicæ commendavit. Quæcunque peccaverat in imperio gubernando agnovit, ac dolore justo, sed inutili dessevit. Hac tamen, inquit, consolatione sustentor, quod filium parente meliorem habituri sitis, qui regni mei, non morum hæres perficiet, ut mihi ignoscat posteritas, vel isto etiam successore gratuletur. Filium deinde præclaris instruxit monitis, quibus si suam ipse vitam temperasset, fuisset regum optimus, multoque meliori loco rempublicam reliquisset. Fuerat ille quidem a prima ætate cunctis regnandi artibus egregie instructus. Sed voluptatum illecebris paulatim effeminatus, ita se demerserat in libidinum cœno, ut publicis commodis & calamitatibus perinde indormiret, nullisque neque populorum clamoribus, neque magistratuum admonitionibus excitaretur. Convenere post ejus mortem proceres, ac filium ficta modestia, ut fert consuetudo, reluctanter salutaverunt Imperatorem, indito Taiciani nomine, quod vocabulum apud Sinas florem diuturnum sonat. At flos ille nihil minus quam diuturnus fuit. Post alterum quippe mensem, non sine veneni suspitione, succisus est. Eleverunt illum Sinæ non fictis lacrymis. Paucis enim diebus magnam sui moverat expectationem, nec vanam spem faciebat Imperii restituendi, quod paulo post omnino concidit. Successit Taiciano filius annorum sexdecim, Tienchi nominatus, quæ vox apertum cœlum significat. Principi custodes adolescentiæ dati magnates duo, quorum alter cum esset bene erga nostros affectus, fiduciam dabat, sub novo imperio rem christianam melius habituram. Ea interim nec optimo erat loco, nec omnino malo. Sociis ubique clam & caute agentibus, magistratus locorum dissimulabant. Pekini nonnihil turbarum concitavit sceleratus eunuchus, ejus villam Rex ante annos circiter novem Patribus attribuerat pro sepulchro P. Matthæi Riccii. Villam hanc conservandam Societati putaverant iudices, ut alibi dictum est, etiamsi indictum fuisset exilium Patribus. Jam ergo homo vaser, in omnem occasionem imminens villæ recuperandæ, P. Franciscum Samblasium in ea commorantem detulit ad magistratus, ac reum intolerabilis audaciæ fecit, qui in

To. I.

M m

Si-

177.
Illustrè mar-
tyrium quinque
Christianorum,
in regno Bugen-
si.

178.
RES SINICÆ.
Mors Imperato-
ris Vanlicii.

179.
Succedit illi
proxime Taicia-
nus, mox Tien-
chius.

180.
P. Samblasius
grave pericu-
lum evadit Pe-
kini.

Sina, ac prope in oculis regis contra Regis edicta mansisset. Missi jam fuerant ad eum capiendum milites. Sed accurrens in tempore doctor Paulus, Samblasium periculo eripuit, & rem omnem cum magistratu composuit.

181.
Doctoris Pauli
consilium de in-
ferenda religio-
ne in Coream.

182.
Res optimo
proposito exco-
gitata successu
carcet.

183.
Insignis Man-
darinus ad fi-
dem trahitur.

184.
In provinciam
Xamsiensem fi-
des invehitur.

185.
Immerito notati
Patres, quod
geometricis di-
sciplinis viam
sternerent Evan-
gelio.

Hujus tamen viri eluxit præsertim pietas, & religionis amplificanda studium in re momenti gravioris, quam subjecio. Urebatur jam ab annis pluribus regnum bello Tartarico sic, ut Sinenses magnis affecti cladibus respicere ad externas opes cogerentur. Occasionem istam arripuit doctor Paulus christiana religionis in Coream (Corajum vulgo appellant) inferenda. Peninsula ingens est Coream, Sinis inter orientem & septentrionem conjuncta. Excurrit meridiem versus per millia passuum quingenta circiter, lata, ubi plurimum, centum & sexaginta. Populi multo Sinensibus bellicosiores regi suo parent, sed is tributum pendit Sinensi. Eorum auxiliis videbatur doctori Paulo reprimi posse ferociam hostium, si modo quisquam belli peritus innatam gentis fortitudinem arte & industria perpoliret. Scripto igitur libello monet Imperatorem, quantum in Coreanis præsidii sit. Mittendum aliquem, qui eos militari disciplina instituat: se hanc operam patriæ libenter navaturum. Eo spectabat vir pius, ut bellicæ institutionis obtentu christianam religionem in Coream inferret. Laudavit consilium Imperator, & ad ejus vota rescripsit. Jam Paulus se accingebat ad iter, Patre Samblasio comite: cum procerum aliquot æmulatio prava, quod aulæ vitium familiare est, rem disturbavit. Aiebant, multo plus detrimenti timendum, si amitteretur vel ad paucos menses doctor Paulus, quam sperandum esset emolumenti, si Coreanos ad artem bellicam egregie formaret. Virum spectatæ in gravissimis periculis prudentiæ evocandum si abesset, nedum ablegandum cum aderat. Satis superque militum esse, non item ducum. Possent per sexcentos alios Mandarinos Coreanam juventutem erudiri: nulli, præterquam doctori Paulo, onus imperii defendendi imponi posse. Victus speciosis id genus rationibus Imperator mutavit sententiã, ac Paulum Pekini, tamquam ibi reipublicæ utiliore, detinuit. Frustratus præclari consilii exitu vir egregius, institit nihilominus quibus potuit artibus rem christianam augere. Venerat ad aulam magni nominis Mandarinus, provinciæ Xamsiensis præfectus. Statim Paulus de Patribus Societatis, investisque per eos liberalibus disciplinis cum illo sermonem infert: movet hominem sciendi avidum, ut velit cum aliquo ipsorum amicitiam jungere: sibi curæ fore recipit, ut ex iis unum nominatum agnoscat. Secessurus erat Mandarinus ad aliquod tempus in suam patriam prope Hamceum. Paulus ad P. Julium Alenum Hamcei degentem scribit, ut Mandarinum propediem adventurum officii causa adeat statim. Morem gessit Alenus. Primis diebus, ut fert consuetudo Sinensium, salutationibus, & officii mutuis certatum est. Multi dehinc congressus de geometria, quibus tamen Alenus semper aliquid de divinis rebus intermiscerat. Ne longior sim, Mandarinus sanctitate christianæ legis captus, & institutus probe, baptismum, ac Petri nomen accepit. Patris exemplum secutus est filius ejus unicus, mox hujus patruelis, quibus deinde alii atque alii ex eadem cognatione accesserunt. Neque hic utilitas constitit. Iis peractis, parabat Alenus in sedem suam Hamceum se recipere. Non tulit Petrus: sed eum in provinciam Xamsiensem adducere secum voluit, ut Christi doctrinam suis quoque provincialibus traderet. Non repulit oblatam occasionem Sacerdos. Contendit in novum agrum, semen divini verbi jecit, frugem amplam collegit. Quo demum geometricas explicationes, ut sæpe alias, multorum salus est consecuta.

Quo magis miror, fuisse per idem tempus in Europa, qui nefas ducerent naturalium rerum scientiam Evangelio sternere apud Sinas, & nostrorum morem in hac parte reprehenderent. Non his artibus, aiebant illi, promulgatum legimus ab Apostolis Evangelium, nec humanarum litterarum fiducia tam divina res agi postulat. Ita sane. Sed nec Apostolos legimus, difficiles ac varias gentium linguas studio didicisse, ut nunc discere necesse est: neque nostri ad conciliandas sibi hominum voluntates hæc adhibuissent humana subsidia,

si,

fi, ut olim Apostoli, accepissent *supervenientem ex alto virtutem Spiritus Sancti*, & dona linguarum, & potestatem patranda miracula. Quid quod Paulum scimus, *omnibus omnia esse factum*, ut omnes Christo lucrificeret? Geometricam disciplinam, qua Sinæ plurimum delectantur, adhibebant nostri ad inescandos litteratos. Sic terram divinæ sementi præparabant quodammodo. Hinc ad ingerendam Numinis, & religionis veræ notitiam progrediebantur. Industriam comprobavit experientia. Ipse ratam habuit de cælo Deus: neque enim sine divino numine effectum, ut hac ratione fides in illo regno radices ageret. Postremo, ne quis relinqueretur scrupulus, accessit auctoritas Romani Pontificis Innocentii XI., qui Pontifex non minus sanctitate vitæ, quam dignitatis immortaliter venerandus, quid de hac re sentiret luculenter significavit anno præterlapsi sæculi octogesimo primo, datis ad P. Ferdinandum Verbiestum litteris in hæc verba. „ Jucundissimum præ cæteris fuit agnoscere, quam sapienter atque opportune profanarum scientiarum usum ad Sinensium populorum salutem, & ad christiana fidei incrementum, utilitatemque deflexeris: earum beneficio refellens falsas criminationes, & calumnias, quibus nonnulli in christianum nomen invehebantur, viamque tibi sternens ad eum gratiæ locum apud Sinarum Regem, ut solutus ipse gravibus molestiis, quas diu forti magnoque animo pertulisti, socios tuos Millionarios ab exilio revocaveris, & religionem ipsam, non solum pristina libertati dignitatique restitueris, sed etiam ad meliora in dies speranda provexeris. Nihil enim est, quod Dei adjutrice gratia sperari non possit, te, tuique similibus viris apud gentem istam religionis causam agentibus, . Hæc Pontifex Innocentius, auctor haud paulo gravior nostris quibuscunque obtrektoribus. Sed his omisis, eo narratio redeat, unde nonnihil deflexit.

Nankini, post irrogatum Societati exilium, nemo nostrorum hætenus ut in sede stabili habitaverat. Adventabat subinde aliquis Hamceo, ut Christianis sacra ministraret, errabatque incertis sedibus, hospitium sumens quaecunque pietas neophytorum offerret. Hoc anno P. Petrus Spira stabili donatus est domicilio, quo Patres in posterum exciperentur. Factum id neophytorum Nankinensium charitate, & industria: qui tametsi inopes, tantum pecuniæ contulerunt, quanto opus fuit ad coemendam domum satis amplam, ubi fidelium coetus haberi commode possent. Annum fere integrum Spira exegit Nankini: quo tempore ex ethnicis circiter quinquagenos baptismo tinxit, Christianorum vero multitudinem haud exiguum mysteriis officisque religionis instituit, ac sacris instauravit. Hæc eo jam fiebant liberius, quod a nobis non alienus videbatur novus Imperator, nec temere putabatur facturus nostris hominibus facultatem in Sina libere commorandi. Nam cum unus litteratorum libellum illi obtulisset, rogans ut calendarium Sinicum, a veris astronomiæ calculis multum aberrans, emendandum committeret advenis Europæis, quippe astronomiæ rationis scientissimis; rescripserat Imperator, sibi tunc belli curis, & geminatis avi patrisque funeribus occupato, non esse otium cogitandi de calendario. Quo rescripto satis indicabat, nec se ignorare de advenis intra fines imperii degentibus, & consilium non tam aspernari, quam differre. His ita se habentibus, visum est posse jam tuto ex Macaensi collegio sociorum auxilia evocari. Delecti, qui viam cæteris sternerent, Patres Manuel Diaz, pridem Sinica Societatis Visitator, & Joannes Ureman Dalmata, quem mathematicæ disciplina plurimum commendabant. Hi Cantonem appulsi clanculum, in interiora regni nemine prohibente penetraverunt. Quorum successu animum sumens P. Alvarus Semedus, licet triennio ante e Sina cum insigni ignominia, ut alibi demonstratum est, ejectus, non ultra sibi expectandum statuit, quominus eo rediret impavidus, quo sua illum ferebant vota, & necessitas religionis vocabat. Ita laborantibus in Sina Patribus tres anno exeunte sodales accefferunt.

At enim partam istorum adventu lætitiæ præfestinatus Uremani obitus multum imminuit. Languerat stomacho vir egregius cum Macao solvit. Cantonem

To. I.

Mm 2

tone

186.
Quid senserit
de hac re Inno-
centius XI.

187.
Nankini Socie-
tas iterum dona-
tur proprio do-
micilio.

188.
Spes de no-
vo Imperatore
conceptæ.

189.
Evocantur e
collegio Maca-
ensi in Sinam
aliqui Patres.

190.
Mors & elo-
gium P. Joannis
Uremani.

191.
Obitus & elo-
gium P. Sabbati-
ni de Urfis .

192.
Mortitur insigni
pietate neophy-
tus Quamcoi .

193.
RES NOVI RE-
GNI .
Testimo-
nium Archi-
episcopi San-
ctæ fidei de
rebus gestis
Sociorum .

tone coactus nautarum metu per tres dies in fundo navis latere, loci situ ac pædore ita graviter fuit affectus, ut cum Nancianum pervenit, porro progredi nullo modo posset. Ibi itaque substitit, curatusque a P. Joanne Rocha, vitam ad aliquot menses ægre produxit. At demum, accedente ad cætera mala, acri vi torminum, inter plurima & rara patientiæ documenta animam exhalavit anno sequenti, postridie Idus Aprilis. Nihil magnum sperare de illo non licebat, si diutius viveret. Cum singulari litteratura virtutes conjungebat eximias, miram præsertim animarum charitatem, quarum studio missionem Sinicam ardentissime expetierat. Sed qui nullius opera indiget Deus, bonam ejus mentem accepit, non item labores apostolicos, quos ne incipere quidem potuit, tam celeri morte interceptus. Haud minori Sinensium damno decessit hoc anno Macai P. Sabbatinus de Urfis, eo maxime sublatus tempore, cum reverti parabat in Sinam, unde fuerat pulsus. Vixerat Sabbatinus Pekini annos decem, summis infimisque utilis æque & acceptus: nec ulli inter cultores ejus vineæ aut laboribus exantlatis, aut rerum gestarum magnitudine secundus censebatur. Spectabatur supra cæteras ejus virtutes obedientia, qua ita totus pendebat a majoribus, ut eorum non modo jussa, sed nutus etiam, atque ipsa, prope mentis cogitata in rebus omnibus prompte fervaret. Gente Neapolitanus fuit, patria Lupienfis. Obiit ad Nonas Martii, anno ætatis suæ quadragesimo quinto. Domesticis funeribus juvat attexere pium neophytum, qui eodem anno vitam a suscepto baptisinate præclarissime actam cum pari morte commutavit. Matthæo nomen erat viro. Ultro se Patribus famulum & ministrum dederat, ut cæteris curis solutus pietati tantum vacaret. Nihil illo in obeundis quibuscunque ministeriis promptius, nihil laboriosius. Quod his supererat temporis, precibus totum dabat. In ea Nankinensi procella, quam alibi memoravimus, carissimos Patres adeo non deseruit, ut imo se cum illis vincendum obtulerit sponte, beatum se prædicans, quod socius ejusdem carceris, & particeps arumnarum esset. Post indictum nostris exilium, ipse relegatus fuerat ad extremos regni fines prope Tartaros. Inde opera doctoris Pauli revocatus, Hamceum rediit ad Patres, perrexitque quocunque suo periculo iisdem obsequi. At dum eorum unam Macaum proficiscentem deducit, lethali morbo correptus sanctissime obiit Quamcoi. Prolatum est post ejus mortem chirographum ab ipso jam pridem exaratum, quo multa & maxima Dei erga se beneficia commemorans, ut pro iis ex parte satisfaceret, profitebatur, velle se quamdiu viveret in Patrum obsequio permanere, & eorum in omnibus jussa facere. Scriptum claudens pia prece, Deo per Jesum Christum, & Matrem Virginem supplicans, ne se scelestum abjiceret, sed magis volentem ingredi novam viam, & castitatem colere, præsidio cœlestis gratiæ juvaret. Monumentum Sinicæ pietatis illustre, cujus verba singula religionem spirabant. Sed nos nimis fortasse diu res Asiaticæ hujus anni detinuerunt. Americanas deinceps brevius expediemus.

In provincia novi regni non improspèram fuisse per hoc tempus operam Societatis, testatus est litteris ad Præpositum Generalem datis Ferdinandus de Arias Archiepiscopus Sanctæ fidei, quarum particulam subdo. „ Enim vero, inquit, divinus cultus multum opera Societatis augetur, præsertim in hoc novo regno Granatensi, quod est amplissimum. Tenuis hactenus in hoc solo radices egerat Christi religio: sed minus popularium, quam operariorum culpa, ut experientia docemur in iis, quos Societas colit. Ex his enim plures jam sunt veri Christifideles, qui dogmata religionis probe tenentes, pœnitentiæ & eucharistiæ mysteriis rite utuntur: cum in cæteris, proh dolor! vix tale sit aliquid invenire. Quamobrem plurimi facerem, si cunctas ditionis meæ curias regerent operarii Societatis, boni & fideles adjutores Episcoporum. „ Hæc ille. Cui in eo quod optabat de curiis, prohibebantur nostri morem gerere, cum ob paucitatem suam, tum etiam quod edixerat Mutius, ne qua admitteretur veterum Christianorum paroecia. Id autem sapienter decreverat Præpositus Generalis, veritus, ut opinor, ne paulatim mos inolescere impicandi Societatem

hoc

hoc genere ministerii, quod, citra occasionem inferendi gentibus Evangelii, a nobis alienum est. Nihil tamen minus provinciæ Præpositus P. Emmanuel de Arceo facere non potuit, quin eodem hoc anno Curionem daret Hondensibus. Jacet Honda in ripa fluminis Magdalena, centum quinquaginta millia passuum a Sancta fide. Oppidum est inter celebriora novi regni. Oppidani pastorem sibi jamdiu deposcebant de Societate: quorum postulatis cum suffragarentur Archiepiscopus, & Præses auditorii regii, nobis onus detrectare non licuit. Curiam ergo nostri adierunt Septembri incunte: atque intra quadragesimam anni proximi jam Æthiopum fere octingentos baptismo initiaverant. Incidit hoc medio tempore mors Provincialis Arcei, ex eaque nonnihil turbarum inter domesticos ortum est. Resignatis enim de more litteris successione, quas ante quinquennium miserat Aquaviva, ex hujus designatione salutatus est provinciæ Præpositus P. Gonzalus Lyra, qui tunc Quitense collegium regebat. Vix Lyra magistratum inierat, cum aliæ afferuntur Carthaginem Mutii litteræ, quibus erat externe inscriptum ut resignarentur, si quo casu contingeret mori Patrem de Arceo. Rector collegii Carthaginensis, cui nota mors Arcei, ignota, adhuc ob distantiam locorum substitutio Lyra, litteras aperit, & Arceo successorem designari videns P. Florianum de Ayerbe collegii Sanctæ fidei rectorem, ad eum litteras ipsas cum usitatis gratulationum officiis mittit. Hæsit principio Florianus, incertus animi quid sibi faciendum putaret. Patribus in consilium adhibitis, sententiæ variabant: aliis priori, aliis recentiori designationi standum arbitrantibus. Tota in partes provincia scindebatur. Sed contentionem præcidit Lyra. Vir quippe modestia singulari, ubi de his cognovit, ultro se magistratu abdicavit, & locum Floriano dedit.

Etiã provincia Peruvia suum hoc anno Præpositum extulit P. Didacum Alvarum de Paz, virum sanctitatis fama illustrem, librisque de christiana perfectione editis celebratissimum. Toleti natus erat Pazius, piis & honestis parentibus. Primis excultus litteris in schola Societatis, hanc amplexus est anno ætatis decimosextimo. Nihil exinde habuit antiquius, quam ut Deo fieret quam maxime familiaris: in quo genere tantum profecit, nullis ut negotiorum occupationibus impediretur, quominus in contemplatione summi boni hareret defixus. Sepe inter concionandum, sæpius dum sacrificaret, ita sensibus alienabatur, ut esset in cubiculum reportandus quasi exanimis. Quam ob causam abstinuit aliquandiu ministerio concionum, nec audebat coram populo rem divinam facere. Sed monitus de cælo, ne majorem humilitatis suæ, quam alienæ utilitatis rationem haberet, ad pristinam utriusque rei consuetudinem rediit. Cum insigni sanctimonia parem doctrinam prudentiamque conjungebat. Philosophiam ac theologiam docuit Lima: Rexit collegia Cuzquense, & Quitense, ac per annos sex provinciam universam. Anno ante obitum vigesimo sexto hanc sibi legem interposita voti religione imposuerat, ut caveret noxas quaslibet quantumvis leves, ex earum genere, quæ scienter prudenterque admittuntur: affirmabantque ipsius moderatores, legem adeo difficilem exacte ab eo servatam fuisse. Vir denum omnium opinione sanctus decessit, uti futurum præciserat, Potosii XIII. Cal. Februarias, dum obiret ex officio provinciam: ejus vero funus, ob inveteratam & publicam sanctimonia famam, omnes civitatis ordines celebraverunt. Corpus etiam nunc incorruptum, quique ex eo manat liquor fragrans, & salubris, certa existimantur documenta innocentia & sanctitatis, qua vixit, nec non gloria cœlestis, qua modo fruitur. Hinc ad ejus sepulchrum perpetui concursus. Tertio post Alvarum mense, videlicet VIII. Cal. Majas, par prope sui desiderium reliquit Lima P. Gonsalvus Barnovus patria Numantinus. Is in primo ætatis flore, cum polleret genere, ingenio, opibus, & in magnam familiæ spem adolesceret, Societatem, frustra parentibus dehortantibus, amplecti maluit; nec ullis deinde eorum machinis dimoveri ab arrepto vitæ proposito potuit. Eductus fuerat e tirocinio Societatis, & quasi sequestro depositus apud nescio quos alterius ordinis cœnobitas, donec
ejus

194.
Oblatam Hondæ curiam nostri recipiunt.

195.
Periculum discordiæ domesticæ ex duplici designatione Præpositi Provincialis.

196.
RES PROVINCIAE PERUVIAE.
Mors & elogium P. Alvari de Paz.

197.
Mors & elogium P. Gonsalvi Barnovi.

ejus animus diligentius exploraretur. Quamdiu apud eos constitit, vix credibile quam valide tentatus oppugnatusque fuerit. Impressionem sustinuit, conatus elusit invicto animo adolescens: utque primum licuit, denuo se in tirocinium Societatis recepit. His initiis reliquus tenor vitæ consensit. Litteras cum virtute religiosa ita consociabat, ut Limæ utriusque rei causa in pretio esset, & crebro a viris primariis adiretur. Morti proximus id sibi maxime est gratulatus, quod moreretur in Societate: hac una consolatione abunde sibi reddi, affirmans, centuplum earum rerum, quas religiosa paupertatis studio dimisisset. Morbo consumptus est permolesto, cum ageret ætatis annum trigésimum septimum, ab inita Societate vigésimum. Paris jacturæ fuit immatura mors P. Andreae Ægidiani Gandavenfis, quem sacris missionibus insudantem labor supra vires susceptus extinxit. Ex Julide excursionem inierat ad loca circumposita. Ea dum fructuose excolit, totusque est in abolendis nescio quibus horrendæ superstitionis arcanis, lethali febris correptus est. Noluit tamen, opus intermittere, nisi cum morbi vim ultra ferre non potuit. Tunc demum in Juliensem stationem deportatus, commisit lecto se. Jacebat defectus viribus: & jam migrantium viatico roboratus, & sacro oleo inunctus, vitæ exitum præstolabatur. Cum uni sociorum visus mutato vultu subtristior. Rei causam percunctanti: *Nunc*, respondit, *in ipso discrimine pugna sum*. Nec multo post, iterum serenata facie: *Cessit hostis. Brevi meo judici sestas, evocandus in celum*. Quæ vix locutus, placide expiravit iv. Idus Decembres. Candorem animi, & mentis integritatem ipsa oris specie præferre dicebatur. Natus erat annos triginta tres, quorum quatuordecim in Societate confecerat.

198.
Mors & e-
logium P. Andreae
Ægidiani.

199.
Fundatur col-
legium Piscense.

200.
Traduntur So-
cietati duo se-
minaria.

201.
Oblatam Paro-
ciam Societas
respuit, & qua-
re.

His ita ad præmia laborum evocatis, qui relinquebantur socii novum laboris campum habuerunt Pisces, quæ Hispanorum colonia est nobilis, millia passuum centum & viginti circiter ab urbe Lima. Jampridem Petrus de Montoya, & Joanna Alarconia, pii conjuges, opulenti iidem, ac totius colonie facile principes, cum liberos non haberent, decreverant sedem Societatis Pisces constituere, obtulerantque ampla in eam rem vestigalia. Sed quia in Indiis nusquam licet injussu Regis nova religiosorum domicilia construere, dilatum fuerat in aliquot annos negotium, quod nunc demum miro consensu oppidani conficiendum curarunt. Sub idem tempus duo de novo condita sunt nobilium seminaria, Cuzqui unum, alterum Argyropoli, quam urbem Hispani vulgo *Platam* appellant. Ea Rex cum jussisset Societati administranda committi, utrumque Præpositus Provincialis non invitatus recepit. At non item inducebat animum, ut admitteret oblatam similiter Regis nomine curiam nescio quam neophytorum in diocesi Cuzquensi. Ne illam reciperet, impediabatur novo quodam Regis decreto, quod instituti nostri rationibus minus congruere videbatur. Nam cum antea curiæ hominibus religiosis ita committi solerent, ut penes eorum præpositos esset arbitrium instituendi, mutandique pro libito Parochos, & causas de vita ipsorum & moribus cognoscendi; novo regis edicto illa omnia abrogabantur. Hæc autem in posterum præscribebantur. Ubi novus instituendus esset ex ordine quopiam religioso Parochus, ejus ordinis Præpositus Provincialis viros idoneos exhiberet Proregi tres. Unum Prorex eligeret. Quem semel Prorex curiæ præfecisset, ille quamdiu viveret amoveri non posset injussu ipsius. Idem de vita & moribus iudicem non haberet, nisi Episcopum. Jam vero his conditionibus Societas adeo nullas susceptura erat de novo curias, ut dimissura potius esset quascunque habebat, ne jus moderatorum, & disciplina ordinis laderetur. In hanc prorsus sententiam Mutius Præposito Provinciali rescripserat. Verum admonitus interea Rex, quam grave detrimentum ex ea novitate immineret sacrorum ordinum disciplinæ, decretum illud suum passus est antiquari.

